



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Disputatio II. De sacerdotio Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

præiisse discipulis, ac Religiosis omnibus dicens Luc. 14. num. 33. *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus* atque ad adolecentem Matth. 19. num. 31. *si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Unde num. 27. Petrus *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: sed nisi rerum dominio se abdicasset non præiisset exemplo Religiosis: ergo saltem, ex quo prædicare cepit, se rerum Dominio abdicauit: ergo antea habuit Dominium humanum rerum. Patet: nam Dominio humanis superiori abdicare se non potuit, neque abdicare se non posset. Sed vellem obiectiones sui memores esse. Etenim eis tantum rebus, quibus Christus vtebatur Dominium humanum habuisse illum voluit, ex definitione Ioannis secundi, ex cuiusque ratione aduersariorum modo intellecta: ne scilicet earum usus esset licitus, & iniustus, nisi Dominium haberet tunc ipsarum: ergo earum rerum, quibus est usus, Dominium non renunciauerat humanum, cum eis vtebatur, vsuque consumebat: at aliarum Dominium humanum non habuit per aduersarios, qui illarum solum habuisse voluit, saltem non omnium: ergo nullum Dominium humanum renuntiauit. Quomodo ergo renuntiauit discipulis, & religiosis rerum suarum Dominium præiit exemplo, ut illum etiam in paupertate sequerentur? respondeant etiam aduersarij. Si enim solum humanum Dominium remittunt, hoc non renuntiauit, in eorum sententia; si aliud etiam admittunt humano superius, hoc non est renuntiable, ut arguebatur.


6 Respondeo ergo pro omnibus de essentia paupertatis, etiam Religiosæ, substantiæque eius non esse abdicationem Domini rerum, sed usus earum independentem à voluntate Prælati, ut constat in nostris Scholaribus, aliisque, qui gradum fixum in Societate nondum habent: ij enim vobis biennij emissis, quibus substantialiter, atque essentialiter religiosi constituuntur sola abdicatione vsus independentem à voluntate Superioris iurata, promissæque à Deo: & tamen retinent bonorum Dominium. Huic autem paupertati, licet nec Dominio humano renunciarit Christus, quod non habuit, nec humanis superiori, cui non potuit, exemplo præstantissimo præiit renuntians rerum vsui ex Dominio illo independentem à perfectissima voluntate diuina. Licet autem in hominibus perfectior paupertatis gradus sit Dominio se etiam abdicare, quia firmiorem paupertatis statum, contra humanam instabilitatem, atque mutabilitatem de se adducit: ac proinde discipulos Christus, ne à perfectione bonorum amore regrederentur, ut Dominio etiam se abdicarent horrabatur; at hac stabilitate status omissa, perinde est vsus Domini rerum tuarum paupertatis amore impeditur voluntariè habere: cum autem mutabilitatis periculum in Christi voluntate humana non esset, non video quid amplioris perfectionis in ipso esset renuntiatio voluntaria Domini humanis superioris rerum, etsi esse posset, atque constans illa sua renuntiatio vsus rerum independentem à voluntate perfectissima diuina. Quæ verò ad exemplum præstandum attingit, si quantum potuit paupertatis præstitit, satis exempli dedit, ut nos præstemus quantum possumus; licet nobis Domini etiam humani, quod ille non habuit, renuntiatio, materia vltior sit. Sic etiam exemplo suo ad vincendas tentationes, etiam internas nos docuit, quas tamen ipse non habuit, ac proinde nec vicit. An verò renuntiatio hæc Christi medio voto fuerit? negare videtur S. Th. 22. q. 84. a. 4. ad 3. quia alias in obseruatione voti liber Christus ratione antecedentis impeccabilitatis non esset. Sed cum hanc difficultatem in operibus præceptis emollierim non renuam vorum intercessisse cum Bernale d. 62. sect. 1.



DISPUTATIO II.

De Sacerdotio Christi.

DE Sacerdotio Christi hæc videntur posse generatim inquiri. An Christus sit Sacerdos? secundo de huius Sacerdotij cum aliis similitudine, & qualitatibus. Tertio de huius imagine in Sacerdotio Melchisedech. Quarto de huius Sacerdotij duratione. Quinto de eius actu nempe Sacrificio.



QVÆSTIO I.

An Christus propriè Sacerdos fuerit.

NVM Sacerdotium, quaque ratione Christo Domino conueniat, quæstione præfenti examinandum est: ubi Sacerdotij Christi subiectum, & formam statuemus.

CERTAMEN I.

Christi Sacerdotium adstruimur.

NON agimus de Sacerdotio laxè sumpto, quodque in Christianis, iustique omnibus adest: iuxta 1. Petri 2. *vos autem genus electum, regale Sacerdotium*: & Apocal. 5. num. 10. *fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Ad eum nimirum modum, quo bona opera sacrificia dicuntur Psal. 50. num. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, Ad Hebræ. 3. num. 16. *Beneficentia autem, & communionis neque obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Agimus enim de Sacerdotio propriè, & strictè dicto, dum an in Christo sit? disputamus. Sacerdotium igitur proprium in communi sic definitur Medina 3. p. q. 22. art. 1. *ut munera potius, quæ Sacerdotes veteris legis exercebant referuerit omnia, atque eorum aliqua periphrafi sæpe sua definitione vitiosè repetierit. Toletus de instrum. Sacerd. c. 1. num. 1. sic Sacerdotium, sive Sacerdotem definit. vir cultui veri Dei autoritate diuina determinatis personis concessa firmiter deputatus.* Sed primo definitio hæc Sacerdotis, sive Sacerdotij in communi non est, primo: quia scemina absolute Sacerdos esse potest: ut constat ex Sacerdotibus gentium: ut propterea Sacerdos generis communis duorum agrum mercicis habeatur; nec minus esse posset apud fideles scemina Sacerdos, vel Angelus, si Dei legem excludas. Secundo: quia ad verum Sacerdotium non est opus deputatione eius ad Dei cultum per diuinam auctoritatem; satis enim esset, si à populo, cui erat Sacerdos futurus in Sacerdotem deputaretur. Deinde, nec legis Christianæ Sacerdos, qui solum definitur intendebatur à Tolero exactè definitur; nam, & Laici religiosi auctoritate diuina ad Dei cultum instituti, & deputati possunt, quin ad offerendum Sacrificium, atque in Sacerdotes deputentur.

2 Exactius igitur Vasquez d. 87. c. 2. Soar. infra, atque ex eis Bernale. d. 60. sect. 1. §. num. 4. Sacerdotem, ac subinde Sacerdotium generatim definire. *Rationalis creatura per publicam auctoritatem ad offerendum Sacrificium constituta.* Desumitur definitio ex Paulo ad Hebræ. 5. illis verbis *omnis namque Populus, sive ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in huius, quæ sunt ad* Deum

Deum, ut offerat dona, & sacrificia, &c. ac statim. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, (eiusque autoritate publica) tanquam Aaron. Vbi, quia de veteris legis sacerdotibus agebat dixit ex hominibus, & ex publica Dei autoritate esse debere. c. autem 8. num. 3. generalius loquens aiebat. Omnia Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur. Quod autem auctoritas, qua rationalis creatura ad offerendum sacrificium deputatur, publica esse debeat, nec sufficiat priuata, Probatur facile: quia Sacerdos est publicus populi totius Minister ad Deum, quem populo sacrificij oblatione placet, & conciliat: publicum autem ministerium, nisi publica autoritate, conferri nequit. Confirmatur, quia nec sacrificium, quia toti populo inferuire debet, priuata autoritate institui valet. Nec de hoc controuersia esse potest.

3 Dices Patresfamilias in lege veteri sacerdotes fuisse ad sacrificandum Deo Paschalem agnum, quod ad id muneris publica autoritate deputarentur. Sed vero extremum hoc falsum est: publica enim Dei autoritate deputatos illos ad agnum sacrificandum fuisse testatur Philo. Hebræ. 3. de vita Moysis, & lib. de decalogo Ioseph. 2. antiquitat. cap. 6. &, quod caput est, Scriptura 2. Paralip. cap. 3. num. 15. Maior esse posset difficultas de publica autoritate constituitur creaturam rationalem ad sacrificandum, an sufficiat humana, vel esse etiam debeat diuina? Etenim ideo dicitur posse esse humanam, & publicam, quia instituitur, vt sacrificia offerat Deo pro hominibus populo, vt eis Deum conciliet, ac placet: ergo munus, in quod Sacerdos constituitur vtrumque extremum respicit, & hominum populum, & Deum, æqueque essentialiter vtrumque: ergo, sicut ex eo, quod hominum populi interfit, ac referat munus Sacerdotis, populi autoritate ad illud est deputandus Sacerdos: ita, quia Dei, cum quo de placatione, & propitiatione erga populum eo munere necessario agendum est cuiusque illud munus referat, autoritas debet intercedere, vt ad illud Sacerdos aliquis deputetur. Respondetur tamen munus Sacerdotis esse munus oratoris, & legati dona & preces ad Deum ab hominibus deferentis. Ex natura autem rei, qui rogat, orat, donaque mittit potest oratorem, atque internumium allegare: quare populi deputatio satis erit: etsi Deus, quia populi Dominus, possit etiam se solo deputare etiam, cum vellet, vel per se, vel per alium, cui suam autoritatem committat; vt in lege scripta, & gratia efficit.

4 Ex data definitione dubitari ab vilo cordato nequit, quin Christus Dominus strictè, ac propriè Sacerdos, & Pontifex fuerit. Licet enim Deus sit, quia homo vero, siue secundum humanitatem est etiam rationalis creatura: item Dei autoritate publica deputata, vt sacrificium ipsi eruentum sui corporis semel, ac semper incrementum in Eucharistia offerret, vt constabit ex q. 5. vbi vtrumque proprium Sacerdotium esse à Christo Domino, qua homine oblatum Deo offendemus, pluraque ex Scriptura in huius conclusionis probationem inducimus, atque eam à nonnullis expeditionibus difficultatibus. Secundo conclusio hæc est adeo expressa in Scriptura, vt à nullo, quem viderim, hæretico etiam, in dubium vocetur Psalm. 109. numer. 5. Tu es Sacerdos in æternum, quæ verba, sicut, & reliqua Psalmi huius, Patres omnes de Christo, imò & ipse de se, interpretati sunt. Ad Hebræ. 3. num. 1. Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum. & toto cap. 7. quod de Sacerdotio Christi est, præcipuè n. 24. Hic autem, Christus, eo, quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Id Dei iuramento datis Psalmi verbis notauit Paulus num. 20. item num. 26. Tali enim decebat, vt nobis esset Pontifex Sanctus innocens, &c. Denique c. 9. Christus assistens Pontifex futurorum honorum, &c.

5 Eandem conclusionem virtute definiuit, & supponit Concil. Alex. epist. ad Nestor. 10. inter epistolas Cy-

rilli Alex. anathematismo 10. in defensione anathematismorum, contra Theodorum, & Orientales. Postea verò Concil. Ephesinum epistolam præfatam, & anathematismos, & amplectens conclusionem expressè definiuit. Eam denique definiuit concil. Trident. sess. 22. can. 1. & 2. vtriusque, expressè vero, & formaliter cap. 1. vbi etiam ex professo probauit. Ex Patribus August. 4. de Trinit. cap. 14. sic scribit: Quis ergo tam iustus, & sanctus Sacerdos, quam vnicus filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, &c. vt aiebat Paulus ad Hebræos 7. num. 26. S. Ignatius Mart. epist. 10. ad Smyrnenf. Episcopum honorandum, vt imaginem Dei, & Christi Dei quidem propter principatum, Christi vero propter Sacerdotium, aiebat. Reliqua Patrum testimonia passim magno numero occurrunt: ex quibus plura decursu disputationis proferemus. Nunc autem dicta satis erunt, vt conclusionem prædictam tanquam dogma Catholicum in sacra Scriptura clarè expressum, in Conciliis definitum, atque à Sanctis Patribus expressè traditum, & teneamus, & veneremur.

CERTAMEN II.

Sola Christi humanitas est Sacerdotij ipsius subiectum.

1 Arius apud Euseb. 10. demonstrat. Euang. cap. 1. & apud nostrum Turrianum in scholiis ad Clementem Rom. 8. constitut. Apostolicar. cap. 46. cum videtur humanitatem Christi fuisse præfati Sacerdotij sacrificium, docuit diuinitatem, siue Christum, quæ Deum, vel potius, quæ Verbum, quod Deum esse negabat, fuisse Sacerdotem: quia secundum idem Sacerdos, & sacrificium esse non poterat. Ob eandem rationem Stanislaus Sarnicij apud Sancarum lib. de Trinit. & Mediatore & refutat prioris epistolæ Tigurinor. teste Bellarmino 1. de Christo cap. 2. in eundem incidit errorem, licet verbum Deum esse contra Arrianos, cum Catholicis fateatur. Sed tamen inde nullo negotio falsitatis conuincitur. Etenim de ratione Sacerdotis est inferiorem esse eo ad quem Sacerdos instituitur, & quem suis sacrificij actibus colit, ac veneratur: atqui Christus, quæ Deus Verbum, si hoc Deum esse admittas, siue secundum Deitatem Deo, ad quem Sacerdos institutus fuit, Christus, quique actu eius Sacerdotij, nempe sacrificio colitur, inferior non est, sed æqualis, imò idem cum illo, nisi Arrianizetur: ergo sine hæresi Arriana, quam hic nouator exhereret, nõsque dissecimus controu. de Trinit. disp. 2. nequit asseri verum, seu Christum, quæ Deum esse subiectum Sacerdotij, quo argumento reuincitur error alius Caluini, ac Ministror. Tigurinorum Bullingeri, & Petri Martyris epistolis ad Polonos, Simberi, & aliorum apud Bellarmin. proximè, Spencei opuscul. de Christo Mediatore cap. 5. afferentium Sacerdotis, & Mediatoris officium in vtramque naturam diuinam, & humanam Christi cadere. Nam, si actio sacrificandi dicatur partialiter diuisibiliter à Deitate provenire, conuincitur eius inferioritas respectu Dei; si vero partialiter indiuisibiliter, præterquam, quod vna dabitur operatio, & voluntas sacrificandi vtrique naturæ communis cum Apollinare, & Monothelitis, vel Euthychiana confuso naturarum in Christo, explicari nequit, quo pacto sacrificatiua illa actio, prout à Deitate sit actio sacrificandi sine Deitatis inferioritate.

2 Reliquum ergo est, vt Catholicè dicamus solam Christi humanitatem esse Sacerdotij subiectum: quare Christum, quatenus hominem tantum, non autem, quatenus Deum etiam, Sacerdotem esse. Ita Doctores omnes tam hic, quàm de subiecto Mediatoris, cuius munus in officio Sacerdotis includitur, agentes, vbi, & nos referemus. Hos referunt, & sequuntur Bellarm. proximè Valquez d. 8. d. 3. num. 11. Soar. d.

46. sect. 2. §. dicendum secundò Bernal. d. 60. sect. 2. n. 11. Probatur: quia in sola humanitate, non autem in Deitate, ac solùm quatenus homo non autem quatenus Deus Deo est Christus inferior, ut ei cultum per sacrificia possit exhibere. Accedunt Ambros. 3. de fide c. 5. dicens. *Sacerdotium tamen, & sacrificium humana conditionis officium est.* August. 1. consensu Evangelistar. c. 3. secundum hominem Christus Rex, & Sacerdos effectus est, ut esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus Fulgentius de fide ad Petrum c. 2. *solus Sacerdos sacrificium, & templum, & hac omnia Deus secundum rationem serui.* Ut videant hæretici, quàm non pugnet in humanitate eadem Sacerdotium, & sacrificium. Accinit Cyrillus Alex. epist. ad Nestor. & in defens. Anathematismi 10. Hieronym. ad id Psalmi 109. num. 5. *iuravit Dominus.* An verò Sacerdotium humanitati toti primario competat, an solùm animæ, & eius ratione humanitati dabitur à nonnullis. Vasq. citatus extremum censet: quia ei competit primariò, & ratione sui Sacerdotium, cui competit vñctio (vñctio quippe in Sacerdotes destinatur, & constituntur rationales creaturæ) atqui vñctio Deitatis, cum sit vñctio sanctitatis, primariò, & ratione sui soli competit animæ, atque ratione illius toti humanitati: ergo, & sic vtrique Sacerdotium competit. Sed tamen, cum Sacerdotij vñctio, & formaliter sanctificatio, & sanctitas formalis non sit, licet ab eadem Deitate, quæ vnguentum ad vtrumque est, formalitas proveniat, nil argumentum probat. Ecce ab eadem Deitate provenit formaliter Deificari, & tamen tota humanitas primariò, & per se, nec solùm ratione animæ deificatur, licet ratione sui ab eadem primariò non sanctificetur, sed ratione animæ.

3 Sed dicunt Recentiores nonnulli apud Bernal ubi proximè, Christum quatenus est homo Deus Sacerdotem bono, & Catholico sensu dici posse, quod videtur à Caluino, & focus solum contendit. Impugnat Bernal propositionem: quia quatenus denotat subiectum, atque id, quod in recto dicit Sacerdos: quare reddat ea propositio hæreticum sensum: nempe Deitatem esse partiale subiectum Sacerdotij in Christo. Frigida, & planè facta impugratio: quia particula *quatenus* denotare potest formam, imò frequentius, & vñctius, cum specificatiuè sumitur, siue specificatur ratio, ob quam prædicatum competit subiecto, formam denotat, quare, & hic poterat formam denotare. Secundo: debeat denotare subiectum, seu rectum nominis eum nomen hoc substantium sit, nempe Sacerdos, quod substantiuè vñctius, & connaturalius significat atque usurpat, Sacerdotij formam in recto significabit: quæ est Deitas, ut videbimus cert. sequenti: quare ea ex parte falsa propositio non erit. In eo autem sensu esse erronea nequit: nam, licet humanitas dicatur pars formæ Sacerdotij, nullum continet errorem, licet falsam contineat doctrinam: quia homo Deus non forma Sacerdotij in Christo, sed totus est Sacerdos, ut patet: quare in sensu specificatiuo, siue forma, siue subiectum Sacerdotij voce *quatenus* denotetur, reicienda est, ut falsa, propositio Recentiorum; si autem sumatur illud *quatenus* reduplicatiuè vera erit propositio illa *quatenus homo Deus est Sacerdos Christus.* Est enim eadem, atque hæc: *Christus, quatenus Christus, est Sacerdos.* Nam homo Deus est, quod Christus est: At hic, nec sensus Caluini est, neque præsentis quæstionis de subiecto Sacerdotij Christi, ut patet.

4 Oppones pro hæresi Stanislai Sarnicij, & Arrij Cyrillum Hierosolim. Catechesi 10. apud Soarium in hæc scribentem de Christo: *habere Sacerdotium immutabile, quod, nec tempore capis, nec successorem alium habebit Sacerdotij.* Et Catechesi 11. init. *Non ex hominibus promotione aliqua in Sacerdotium ascendit, sed semper Sacerdotij dignitatem habuit.* Ergo Sacerdotium Christi

initium temporis non habuit, sed semper exiit, siue que æternum: atqui Sacerdotium æternum non fuit in humanitate Christi, quæ æterna non fuit, sed temporalis: ergo in sola Deitate fuit: ac proinde hæc fuit eius Sacerdotium subiectum. Respondetur primo ex Vasquio locum secundum esse prioris interpretationem, ut tantumdem valeat æternum illud primi, atque illud semper secundi, nec significet æternam à parte antedurationem, si absolute infinitam, sed solum totam Christi durationem, ut sensus sit, nunquam non habuit Sacerdotium, ac semper, quando fuit numerum, fuit Sacerdos: sic enim sæpè æternum usurpat vulgariter. Respondetur secundo: illud æternum, siue quod nec tempore capis ad Sacerdotium manifestè pertinere, quod refert, siue cuius est relatiuum quod, cuique concordat, non autem ad habere: quare, hæc æternæ in Christo, temporalive eius humanitate, non fuerit Sacerdotium æternum, verè æternum est, nec ut æternum Sacerdotium, siue Sacerdotis forma, quæ sola diuinitas est, fuerit, oportuit in aliquo esse subiecto: ac proinde malè ex illius æternitate inferitur in Deitate tanquam in subiecto existisse. Neganda igitur merito erit consequentia postrema.

Oppones pro Caluino illud 2. Corinth. 5. num. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi & Adversariis, quæm, Ecclesiam, acquisiuit Deus sanguine suo.* Reconciliare autem nos sibi Deum, idque sanguinis sui effusione, quod aliud est, quàm Deum Sacerdotem esse, cuius officia sunt, & sanguinem rei sacrificatæ effundere sacrificando, & eo sacrificio populum Deo reconciliare. Id quod definitum videtur à Concil. Ephesin. can. 10. ex doctrina Cyrilli Alex. Epistola citata ad Nestor. & defens. Anathematismorum ad 10. Respondetur hæc omnia per idiomatum communicationem solum in Deo locum habere, & dici à Patribus, & Conciliis: quare nihil pro Caluinistis præstare. Id quod satis aperte recitata testimonia ostendunt: cum nullo alio sensu, sanguinem suum effudisse, siue sanguine Ecclesiam acquisiuisse dici Deus possit. Insistant nihilominus Caluinistæ: Renouare, & dare spiritum, doceréque, ut Magistrum, sunt Sacerdotis officia, & Mediatoris ex August. c. 33. Enchiridij; hæc autem sunt propria etiam officia Dei teste etiam August. lib. de Magistr. c. 11. iuxta id Psalmi 39. *qui docet hominum scientiam:* ergo munera Sacerdotis sunt etiam propria Dei: ac proinde Christus, quæ Deus etiam, est Sacerdos. Respondetur: docere non esse officium proprium Sacerdotis, licet ei etiam competat reliqua vera physicè operari, ut operatur, præstareque Deus Dei esse proprium non Sacerdotis: merito, & impetratiue proprium Sacerdotis esse, qui ea mediis orationibus & sacrificiis Deo oblati populo à Deo obtinet, ut loco citato docet Augustinus: at Deus, quæ talis nullatenus sic à Deo impetrat & obtinet, imò nec potest, sed solum, quæ homo factus in Christo fuit.

Opponunt Caluinistæ illud Ipan. 10. *Ego pono animam meam ut iterum sumam eam:* dum de sacrificio, quod, ut Sacerdos obtulit, Christus loquitur: atqui animam ponere, ut cum voluerit, resumat, Christi quæ Dei, non, quæ hominis est: ergo, quæ Deus est, & dicitur à se ipso Sacerdos. Totum hoc friget, si dicas per idiomatum communicationem dictum. Sed ad literam rigidus ex August. tract. 47. in Ioan. positionem animæ, vel dicere separationem animæ, & resumptionem reuinionem dicere: & sic non à verbo, à quo nunquam anima separata est fuisse, sed à sola carne: vel dicere mortem, & resurrectionem humanitatis: & sic mors actiuè ab hostibus fuit, non à verbo vñcto, neque ab humanitate. solum ergo mors dicitur à Christo esse, quatenus ab eo acceptata fuit, cum ab hostibus offerrebat, & quatenus se illis obtulit, & sic acceptatio humanitatis fuit propria, sicut & ab hostibus processio ex humana voluntate: quo etiam patet

& humanæ voluntatis fuit vitæ atque animæ refump-
tio, quæ ex Dei virtute, nutui tamen humanæ illius
voluntatis alligata. Illud igitur non personam ibi,
sed humanitatem refert, licet grammaticaliter perso-
nam soleat referre sicuti & in sequentibus. *Nemo etiam
solus à me, sed ego pono eam à me ipso*, id est mea huma-
na voluntate, non aliena hominis alterius, & *potestas
tem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam*: ad hu-
manæ meæ voluntatis nutum, cui virtus diuina alligata
ad resurrectionem meam peragendum est. Ac rursus,
Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam:
vbi me, & ego humanitatem refert aperte, non Verbi
personam, siquidem illa non autem Verbum: ob eius-
modi voluntatem, humanam scilicet, deligitur. Ne-
ganda igitur est Caluiniani argumenti minor. Plura
addunt Calvinistæ, quæ potius Mediatoris iubiectum
impugnant, commodius, & vbi de eo agemus, diluen-
da. Illud autem Arrij, & Sarnicij argumentum est,
vlt. ex professo disicietur.

CERTAMEN III.

Sacerdotij Christi forma diuina fuit.

1. Stancarus. lib. de Trinitate, & Mediatore, in
refutat. Epistolæ Tigurinae teste Bellarm. t. 1.
controuerf. lib. 1. de Christo c. 2. in sola humanitate Me-
diatoris officium, quod fere cum Sacerdotio confun-
ditur, adæquatè constituerebat. Eam Stancariani omnes
sequuntur asserentes solam nudam humanitatem opera
Mediatoris propria, nostrique omnium iustificatiua
elicuisse, vt referunt Lindanus Dialogo dubitantis
c. 4. venerabilis noster Beatus Canisius. t. de corrup-
tel. verb. Dei. §. *Ad Sarnicianos*. Hic autem error in
Nestorianismo, vel ex Nestorianismo cadere vide-
tur: negata quippe vnione physica Dei ad humanita-
tem, solaque affectiua Nestoriana concessa, inferri so-
lum potest humanitatem, neque Deitate inungi, ne-
que eius opera à Deitate, ac persona Verbi ad meri-
tum dignificari. Ex eodem errore Nestoriani apud Cy-
rillum defens. Anathematismi. 10. aiebant Christum
paulatim; & quasi per gradus ad Sacerdotium, &
Apostolatam ascendisse; non secus arque homines
alijs veteris Testamenti, cum quibus simile ratio-
ne eiusdem Sacerdotium, quare, & ex simili prin-
cipio Christum habuisse putabant. Nec nimium ab ho-
rum delirio distare videtur vir alioqui pius, & Catho-
licus Vvaldens. t. 1. de Sacramentis. c. 116. num. 6. vbi
ex falsâ quâdam Suidæ historia verbo *Iesus* docet
Christum Sacerdotium suffragis in gradu Lectoris in-
ter Leuitas fuisse constitutum: tum quia vendentes
eiecit de Templo: tum quia Isaiam in Synagoga inter-
pretabatur. Sed primum non ex Leuitico gradu, sed
ex Dominio, quod vt Deus in templum habebat, &
zelo diuinæ gloriæ, quod, non solum, vt excellen-
tissimus Propheta, sed, vt Filius naturalis Dei, qua-
tenus homo habebat, effecit, vt potauit Ioannes. c.
2. num. 17. alioqui, si, vt Leuita flagellis vendentes
eiecit Iudæos non rogarent ipsi num. 18. *quod sig-
num ostendu nobis, quia hæc facis?* cum id è suo mu-
nere publico facere posset: Christulique non ex po-
testate miraculose suæ resurrectionis respondisset num.
19. Sed ex notissima illa Leuitica potestate. Quod au-
tem Lector deputatus fuerit, malè eo argumento inter-
pretationis Scripturæ in Synagoga probatur. Id enim
muneris, non Lectorum, ac Leuitarum erat, sed docti
& eruditi cuiusque, vt patet in Paulo, qui Beniami-
nici, non Leuitici generis, neque vnquam inter Leui-
tas numeratus, sæpe tamen annuentibus cunctis Scri-
pturam in Synagoga interpretabatur. Neque multo
minus displicet nostris Bernalis sententia. d. 80. sect. 1.
§. 3. num. 19. vbi in humanitate Christi asserit fuisse
R. P. Christoph. de Orsega, de Deo vno & Trino.

Sacerdotium simile Sacerdotio legali Patrum familias
Hæbræorum ad sacrificandum agnum Paschalem. Sed
tamen eiusmodi potestas Christo è sola dignitate ca-
pitis potuit competere: nam purè politicus Pater fa-
miliæ non fuit, eiusmodi enim superioritas purè po-
litica, & humana magis dedecbat humanitatem vni-
tam, quam regia purè humana dignitas, & potestas:
ast ex lege Sacerdotium eiusmodi iolis Patribus fami-
liæ competeat: ergo non competeat Christo.

2. Secundo: cum Sacerdotium Christi humanis
omnibus, & dignitate, & potestate longe esset iupe-
rius, & excellentius, vt Bernal ipse fatetur, erat ad
omne sacrificium, & actum Sacerdotalem cuiuscum-
que Sacerdotij: cum omnia eminentissimè Sacerdotis,
eorumque potestatem in se clauderet: ergo, & Sacri-
ficium agni Paschalis in potestate, siue sub potestate
Sacerdotis illius superioris, siue supremi Christi con-
tinebatur: ergo, & ab eo Sacerdotio, eiusque po-
testate potuit Christus sacrificare Deo Paschalem
agnum, quin ad legitimum sacrificium agni Paschalis
Sacerdotium illud inuoluerit, & indecenter Christo
attribuamus. Denique, vt simul, & Sacerdotium pu-
rè humanum Nestorianorum, & Sarnicari, & hæc af-
finia Valdensis, & Bernal, & si quæ alia similia, à
Christo ablegentur, arguo sic. Sacerdotia eiusmodi
purè humana temporalia sunt, & imperfecta, teste
Augustino. q. 61. & 83. in Psalmum. 109. atque illo,
quod habebat superiori ex vnione ad Deum longè
inferiora: ergo Christum dedecbat: sicut de Regno
humano adhuc vniuersali docebamur supra: quare,
nisi negata vnione physica hypostatica humanitatis
cum Nestorianis quos controu. 1. d. 2. impugnamus,
admitti non possunt. Secundo: nullum ex eiusmodi
Sacerdotiis humanis constat ex Scriptura, traditione,
aut Patribus: sed ex sola Nestoriana heresi: ergo tem-
merè, & periculose admittetur de facto in Christo
ertio: Patres omnes, qui de hac re egerunt,
Tapertis verbis eiusmodi Sacerdotio Christi recla-
mant, & Cyrillus Hierosolymitanus pro errore Sar-
nicij obiectus cert. 2. num. 4. Patetque ipse Psalmo
109. num. 5. vbi post æternam Verbi incarnati genera-
tionem ait *Tu es Sacerdos in æternum* non temporaliter.
Adde Sacerdotes legales, & non intrusos, linea
paterna ex tribu Leuitarum futuros necessariò: Exodi
29. Leuitici. 8. Reg. 1. nec maternam Leuiticam lineam
fatis esse: alioqui, cum femina Leuitici generis plu-
res vitis Iuda nupessent Exodi. 6. & 4. Reg. 11. viri
plures ex tribu Iuda Sacerdotes esse possent: id quod
à Rege Ozia ex eo tribu linea paterna, licet Leuitico
materno, graui poena punitum est. 2. Paralip. 6. Chri-
stum autem paternam lineam veram non habuisse de
fide est: putariam verò per Ioseph, & de tribu Iuda
fuisse, ex fide & Euangelio constat, satisque erat om-
nibus tunc notum: imò nec linea maris mascula Le-
uiticus erat cum Despara etiam ex tribu Iuda totam
masculam lineam habuerit. Vel ergo intrusus Sacer-
dos purè humanus dicendus erit blasphemè, vel nul-
latenus purè humanus Sacerdos.

3. Vera igitur sententia docet formam Sacerdotij
Christi totam esse Deitatem, vel personam diuinam,
qua eius humanitas vnionis hypostaticæ interuentu
inuncta est, ac delibata. Ita expressè, vel supponunt,
vel affirmant Theologi omnes antiquiores in 4. d. 4. &
Interpres cum S. Th. 3. p. q. 36. a. 5. dum asserunt
Christi Sacerdotium non ponere in eius humanitatem
qualitatem aliquam, sed solum dignitatem conuenien-
tem ipsi ratione vnionis hypostaticæ. Expressus Val-
quez d. 58. c. 2. num. 11. Soar. d. 46. sect. 3. §. *dico primo*
§. vnde obiter. §. ex quibus. Scio Bernalem dissentire,
non solum, quoad Sacerdotium ad agni immolatio-
nem impugnatum, sed etiam, quoad vniuersale Chri-
sti Sacerdotium, quod non sola Deitate, & vnione
constitui, sed vltiori voluntate, & institutione di-
uina aiebat. d. 60. sect. 1. §. 3. num. 18. quo, licet quoad
K K K K amplius

amplitudinem legalibus sacerdotiis superius Christi Sacerdotium admittit, quoad formam ipsius ad æquationem cum illis indecorè deiecit.

Probatum primò conclusio: quia humanitas Christi mediâ vnione hypostatica inuncta ac delibata est per Deitatem, seu personam diuinam vniguento summè perfectò, atque infinito, vt vidimus controu. 4. d. 4. q. 1. cert. 1. ex Patribus pluribus: ergo media sola vnione hypostatica inuncta est vniguento Deitatis quod superiori, atque eminentiori modo contineat triplex illud vniguenti genus, cuius meminit Hieronym. in id Abacuc. 3. *in salutem cum Christo tuo: nimirum, quo vel in Reges, vel Prophetas, vel Sacerdotes homines inungebantur. Confirmatur quia vnctione ista Deitatis vnione hypostatica interueniente formalissimè inuncta humanitas fuit in Regem vniuersalem, Christûsque, quatenus homo, Rex vniuersalis constitutus, vt d. 1. ostendimus obseruauitque luculenter Nyssen opusc. de professione Christiana ante med. & opusc. de perfecti hominis forma post initium: ergo est eadem vnctione formalissimè inunctus in Sacerdotem summum, & vniuersalem, talisque formalissimè constitutus fuit. Æque enim inunctio ad vtrâque dignitatem, & potestatem requiritur.*

4. Hoc vnctionis humanitatis per Deitatem argumento vtuntur Patres ad rem hæc Cyrill. Alex. 2. de recta fide ad Reginas c. *de eo, quod Christus sanctificatus est, & de Sacerdotio. nullus accepit sibi. Vbi differentiam assumptionis Christi, & Aaron in Sacerdotes ita scribit: Nam ille Aaron inungitur ad ministerium & erat seruus, at illo tanquam filius inunctus, vocatus secundum ordinem Melchisedech ministrat Patri. Ac statim ministerij diuersitatem ex 7. ad Hebræ. sic designat: qui non secundum legem carnalis mandati factus est, legalis vnctione, sed secundum virtutem indissolubilis vitæ. & 5. in Genes. longè à princip. aiebat: Christum in Sacerdotem oleo latitæ, quod non reperitur in terris, constitutum fuisse: nempe diuinitatis oleo, vt dixit 4. in Ioan. cap. 29. Naz. orat. 40. in S. Baptisma. Post init. ait nomine vnctionis, sicuti, & aliis Baptisma, & eius donatorem Christum significari, & appellari; quia sacer, & Regius. Huiusmodi enim erant, qui ungebantur: in Reges scilicet, & Sacerdotes: aut vnctum fuisse Christum vniguento solo Deitatis docuit sæpe Naz. recitatus loco citato controuersia, & disputationis 4. Expressius adhuc ad rem istam eius interpretes Elias Cretenf. in orat. 1. Naz. expendens illud: *Ac demones quidem scribit: Christus vocatus est propterea, quod humanitatem Deitate inuinxerit: atque etiam, vt R. & Sacerdos nimirum huiusmodi vnctione constitutus. Tandem Germanus Patriarcha Constantinop. Theoria rer. Ecclesiastic. post init. ungi oleo baptizatos est instar olei, quo Reges, & Sacerdotes, & Prophetæ ungebantur: vt etiam Christus vnctus est, tanquam Rex, & Sacerdos vnctione incarnationis: quid ad præsens argumentum illustrius?**

5. Secundo probatur eadem conclusio: quia propterea Christus Sacerdos, & Pontifex natura dicitur, quia non electione, aut consecratione superaddita, sed natura ipsa diuina, altera nimirum è duabus, quas intrinsecè, & essentialiter continet, quaque eius humanitas talis constituitur; Sacerdos, & Pontifex est. Ita loquitur Clem. Rom. 8. constituitur, Apostol. cap. 46. *Primus igitur natura Pontifex vnigenitus Christus, non sibi honorem rapuit, sed à Patre constitutus est. Damasc. orat. 2. de B. Mar. Natiuit. longè ad init. ait Sacerdotij, & Regni dignitates non secundum carnalem legem Christum habuisse, nec ratione humanitatis tanquam formæ, verum iuxta indelebilis vitæ potentiam dignitatem vtramque, hoc est, tum Sacerdotij, tum Regni suapte natura habere certo testimonio declararetur. S. Ignatius Mart. epist. 10. ad Smyrnenf. post med. ait. qui aduersus illud, Sacerdotium, fuerit non hominem ignominia afficit, sed Deum, & Christum ipsum, qui natura solus est summus Sacerdos*

*Paris. Sicut ergo solus ex Sanctis dicitur natura sanctus Christus, quia altera ex naturis, quas essentialiter habet, formaliter sanctificatur, nempe natura diuina, atque ideo etiam natura Christus, & vnctus nominatur à Dionysio Alex. epist. contr. Paul. samosat. & à Concilio Francfort epist. ad Episcop. Hispan. col. 7. ita, & dicitur natura Sacerdos, quia eadem natura diuina formaliter Sacerdos constituitur. At dices: si natura diuina Christus Sacerdos constituitur formaliter, vt quid Christo Sacerdotium iramur confirmat Patre Psal. 109. num. 5. *irauit Dominus, & non penitit eam: ut es Sacerdos. Respondetur iramentum non esse promissorium Sacerdotij, sed perpetuitatis Sacerdotij, siue vnionis: quia Sacerdos constituebatur formaliter.**

At inquit Bernal dicit à Patribus hominem Christum natura Sacerdotem, quia natura sua humanitas vnigebat Sacerdotium, non, quia media vnione formaliter illud recipiebat per Deitatem. Contra primo: quia non ignorabant Patres naturalitatis, siue naturæ iure plures in lege naturali, & veteri Sacerdotes fuisse, & tamen non illos, sed solum Christum à natura Sacerdotem vocant: ergo, quia putant vnionem, & naturam diuinam non solum ius naturæ, seu naturæ, sed potius Sacerdotium ipsum humanitati Christi formaliter asserre. Contra secundo: quia eodem modo dicitur hominem Christum natura sanctum esse, & natura esse Sacerdotem: at per te sanctus natura dicitur, quia natura ipsa Deitatis est formaliter sanctitas, humanitatis vnix, nec solum ius natura, siue naturale ad sanctitatem: ergo, & debet dicere Sacerdotem natura ab ipse appellari Christum: quia natura diuina, non solum habet ius naturæ, seu naturale Sacerdotium, sed Sacerdos formaliter constituitur. Contra tertio: quia vnctio Deitatis æque constituit Sacerdotij & Regni est atque sanctificatio, vt ex Patribus vidimus, æque inde Patres probant, ac Theologi ex illis sanctificari Deitate humanitatem, atque Sacerdotem, & Regem constitui Deitate: ergo in omnibus, vel in nullo talis redditur à Deitate formaliter. Contra quarto: quia Bernal fatetur Deitate constitui formaliter humanitatem, siue Christum, quæ hominem, Sacerdotem; at inquit constitui illa inadæquate solum talem, atque Deivlteriori voluntate, tanquam forma partiali: ergo Deitas, quam asserit vnio hypostatica humanitati Christi non est ius solum ad Sacerdotium, sed forma etiam, licet partialis: in qua valde aberrat præterea Bernal. Si enim forma Sacerdotij est vnde ea eius incomplectionis & partialitatis limitatio suadetur in forma, quouis genere formalitatis inhiata.

CERTAMEN IV.

Humanitas Christi, quæ Sacerdos, hostia, seu sacrificium, templum, & altare fuit.

1. Videndum hic est quomodo humanitas eadem non Sacerdos solum, sed hostia etiam, & sacrificium esse possit: id quod Arrio, & Stanilas Sarrici supra videbatur impossibile. De hoc autem Catholicus nemo dubitauit. Certum enim de fide est solum humanitatem esse Sacerdotij subiectum, nullatenus autem Deitatem: æque item certum eandem solum, ac nullatenus Deitatem sacrificium fuisse; sola quippe humanitas facta fuit: ergo certum est vtrumque fuisse, & Sacerdotem, & sacrificium. Traditur expressè ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam. Definuit à Concilio Alex. epist. contra Nestor. 10. apud Cyrill. Anathematismo 2. recepta à Concilio Ephesino. Ex Naz. carn. arc. 9. circa fin. Morallique Deum, & victima pura, Sacerdos, quam semel tantum repetit orat. 3. sub init. orat. 36. de Theolog. cit.*

ca fin. Elias Cretenf. in orationem 1. ad id *ideo Angelus M. Gregor. in 1. Reg. 1. ad id & ascendebat vir ille statutus dicitur Hieronym. in id Mich. 1. Audite populi omnes.* Vbi, templum etiam fuisse, ait. Altare etiam simul fuisse docent Epiphani. hæresi. 55. Cyril. Alex. 9. de adorato. circa medium, cuius verba sunt: *ipse igitur est altare, ipse thymianus, & summus Pontifex, ipse similiter sanguis purificationis peccatorum.* Et merito quidem templum, & altare dicitur: cum in Christi humanitate sacrificium illud Deo oblatum, peractumque fuerit, atque pretioso tantæ victimæ sanguine fuerit aspersa.

2 Emergit tamen inde difficultas; quia præcipuus Sacerdotij Christi actus sui corporis maceratio, & sacrificium esse debet: qui tamen à se ipso esse non potest: tum quia nullum Sacerdotium ad ipsius Sacerdotis macerationem ordinatur: tum quia eiusmodi maceratio corporis Christi non potuit esse physice ab ipsa humanitate, quæ nequibat existere, vt maceraret, dum macerabatur. Deinde quia esset ea maceratio sui scelus peracta physice, imò & moraliter suasionibus eiusdem humanitatis ad carnicifex exequentes illam: ergo, si maceratio humanitatis sacrificium fuit, Sacerdos respectu ipsius non erit ipsa, sed vel Deitas, vel tortores, & carnicifex illud peragentes. Non ergo humanitas eadem sacrificium simul, & Sacerdos fuit. Confirmatur ex 8. ad Hebræ. num. 3. *Omnia Pontifex ad offerendum muneris, & hostias constituitur: unde, & necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat.* Nempe à se distinctum. Sed tamen falso additur à se distinctum: licet in alijs Sacerdotibus à Christo, qui non ad sui Sacerdotium, neque vt se macent sunt instituti, verum habeat: Christus autem sacerdos, vt se immolaret institutus à Deo fuit iuxta illud Psalmi *Sacrificium, & oblationem noluit, corpus autem;* eorum loco, *adaptasti mihi:* de quo plura, dum infra de sacerdotio agemus. Ad rationem respondet S. Th. q. 41. art. 1. Vasquez d. 83. cap. 5. num. 37. Soar. d. 46. sect. 1. §. sed circa hoc ultimum Christum causam suæ mortis fuisse non solum, quia inuadentibus, atque occidentibus non resistit, neque illaram mortem fugit, quod, vt spontanea hostia esset satis foret sed quatenus se vitro ad mortem, & sacrificium obrulit Deo: cum staturo esset ne moretur si nollet, aut non veller. Quod explicuit Isaias c. 54. *oblatus est; quia ipse voluit & Ioann. c. 10. Nemo tollit eam vitam à me: sed Ego pono eam à me ipso:* quare, & eius voluntas fuit causa suæ mortis secundum substantiam in eamque moraliter influxit: licet non influxerit in eam, causave eius fuerit, prout à crucifigentibus: sicque moraliter, vt Sacerdos vere sui corporis hostiam maceravit, vt tunc ipse aiebat Ioan. 17. *Pro eis ego sanctifico me ipsum:* id est sanctifico, atque in sacrificium officio: vt Cyril. Chrylost. Rupert. & S. Thom. exponunt.

3 Atque hæc sanè solutio communior, verior, nobisque probator illa, quam adhibet Petrus Hurtado d. 80. sect. 2. §. 22. de potentia obedientialis physica animæ Christi ad vnionem cum corpore conseruandam contra tormentorum impetum: quam obedientialem potentiam in rebus omnibus odi pessimè, & que in præfenti admiffa nihil magis præstat ad difficultatem emolliendam. Est insuper solutio melior solutione alia Bernalis d. 60. sect. 2. §. 1. n. 36. fundata in optione facta Christo à Deo de vita sua possibili, ac mortali, vel immortalis, & impassibili in primo instanti incarnationis, in quo electione mortalis se sacrificauit. Sed hæc solutio falso nititur fundamento. Cum enim non nisi mortalem, & passibilem decretam primo humanitatem à Deo ostenderimus supra, mortalitatis suæ electione libera & integra humanitati esse non potuit. Secundo valde à longè actionem se sacrificandi in humanitate Christi deducit. At ex nostra hac communi, & vera solutione obicit. Martyres voluntaria suæ vitæ oblatione, atque in resistentia mortis oblatæ se

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

obtulerunt Deo: ergo, & se sacrificauerunt æque propriè, ac Christus: ergo, & fuerunt propriè Sacerdos, & sacrificium simul, sicut Christus, Respondent S. Thom. 22. q. 85. a. 5. Vasquez proximè num. 40. solut. 1. Regula tract. 2. de incarnat. d. 19. sacrificium propriè ex religionis affectu offerri debere; Martyres autem morti se obtulisse, atque illam non recusasse in fidei confirmationem, ex eiusque, & Charitatis affectu, ne aliquid contra fidem Deique legem committerent: quare non fuisse oblationem suæ vitæ sacrificium propriè: ac proinde, vel admisso absoluto, vel eum distinctione motiui antecedenti negandam esse consequentiam primam.


4 Sed contra: quia, vt sapienter aiebat Bellarminus 1. de Missa c. 2. de ratione sacrificij propriij non est, quod fiat ex solo, & puro motiui religionis, ita, vt si simul ex alio motiui alterius virtutis maceretur, siue offeratur hostia, hostia & sacrificium non sit: atqui plures Martyres, licet se obtulerint ex motiui præfatis, simul se obtulerunt, suamque vitam, quam martyrio effuderunt in Dei cultum, & ex motiui religionis simul, vt ex S. Ignatio, atque alijs innumeris legitur: aut saltem potuerunt omnes, nec ita se obtulisse cum fundamento negabitur; ergo eorum oblatio fuit, propriè sacrificiata, ac proinde, & eorum castio propriè sacrificium; vel propriè non fuisse in omnibus sacrificium proprium sine fundamento negabitur. Maior est certa. Nam Christi castio sacrificium propriè fuit: & tamen, non in Dei cultum, & ex religione solum, sed in hominum reparacionem salutem, & satisfactionem, atque ex Dei hominumque charitate simul. Item Missæ oblatio in viuorum, & mortuorum satisfactionem pro peccatis sacrificiata est propriè, & Missa sic oblata sacrificium proprium. Caietanus ientaculo 3. ait sacrificium proprium debere esse satisfactorium pro alijs, sicut fuit mors Christi, non autem Martyrum. Impugnat autem solutionem Vasquez num. 29. §. Posterior differentia validè satis: quia non omnia Sacerdotia debent esse sacrificatoria, vt patet in pluribus, quæ instituta in lege veteri, factaque sunt in gratiarum actionem. Secundo: quia mors Martyrum, pro alijs etiam, satisfactoria de congruo saltem esse potuit. Tertio: quia in satisfactionem sui offerri propria sacrificia possunt, respectu cuius satisfactorie de condigno erant Martyrum castiones. Primum constat ex Sacrificio Missæ, quod propriè sacrificium est quando in sanctificationem pro se ipso à sacerdote offertur: atque de Sacerdotibus, & sacrificijs veteribus legis aiebat Paulus 7. ad Hebræ. necesse habuisse prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi.

5 Communis, & vera solutio prima sit Vasquez citato num. 46. vers. med. Soar. d. 46. sect. 1. §. vlt. vers. finem. Bernalis vbi proximè num. 26. ad proprium Sacerdotium, & sacrificium publica auctoritate hominem & sacrificium deputante opus esse, vt supra ostendebamus cert. 1. quæ, & Martyribus, vt propriè Sacerdotes essent, eorumque oblationibus, & interuentionibus, vt propria essent sacrificia proculdubio defuit. Solidam hanc solutionem merito vocat Bernal, immerito verò solam: quare respondeo secundo cum Caietano, & Soarez citatis, Martyribus defuisse specialem illum influxum, qui adfuit Christo: quia vitæ eorum physica destructio, & conseruatio ab eorum voluntate non pendeat, sed naturaliter, ac necessarid inlicitis vulneribus mors illis obueniebat; pendeat autem suæ vitæ conseruatio, & destructio à voluntate Christi, quo nolente nec tot vulneribus, neque mille alijs periret. Denique aduerte nullatenus esse concedendum Christum se occidisse, quia id sonat physicam, & violentam occisionem sui ipsius, vel saltem physicas causas suæ mortis, nempe carnicifex in illam induxisse: quorum vtrumuis nefarius esset. Solum ergo concedi debet moralis Christi influxus in substantiam suæ

KKKK 2 suæ

630 Controversia de honorariis Christi, &c.

suæ mortis explicatus, non autem in illam quærenus à crucifigentibus, & hostibus erat, qui quidem honestissimus, Deoque gratissimus, perditisque omnibus summè extitit proficiuus.



QVÆSTIO II.

De qualitatibus Sacerdotij Christi, eiusque similitudine cum veteribus aliis.

SIMILITUDO propria in qualitate fundatur: ideoque de veraque in sacerdotio Christi eadem quæstione disputamus.

CERTAMEN I.

Qualitates Sacerdotij Christi præcipuè Regia eius potestas Spiritualis.

1 PRÆTER sacrificandi munus, Deique ærum, quod præcipuum Sacerdotij est, plura alia sacerdotium comitantur, pluraque, licet non omnia ab omnibus, quasi muneris sui consecraria haberi, & peragi à Sacerdotibus consueverunt. Eiusmodi sunt orare pro populo, eumque de rebus Spiritualibus, atque ad animæ salutem spectantibus docere, & exhortari, atque, ubi opus est, mandatis etiam, præceptisque appositis ad spirituales finem dirigere, & gubernare: causas item in illis, quæ ad spirituale bonum spectant, diiudicare. Et quidem, cum Sacerdotium Christi creatis aliis immensa perfectione excellat, nihil horum, quæ in inferioribus reperiantur ipsi defecisse citra dubium est. Imò verò constat liquido ex Evangelio, quantum in eis sacerdos Christus reliquis Sacerdotibus excefferit: qui in oratione Dei non diebus solum, sed & pernoctans pro populo, idest hominum vniuersitate, erat, proque cunctorum spirituali salute. Nunquam exhortationibus ad omnes generatim, ad singulosve parcebat, prout cuiusque status, & conditio, rei que exigebat magnitudo: ad acres vsque potentium reprehensiones: populo autem docendo, quid præstiterit: imò verò quid vnquam omisit: Obstupuit Iudæa: gentilitas expauit: Christiani populi religiosam venerationisque plenam admirationem tantam, tamque inauditam, ac planè diuinam Evangeliorum doctrinam suspiciunt.

2 Regiam autem spirituales Sacerdotij Christi (quæ nobilissima eius muneris perfectio est) (tanquam fidei dogma asserunt Theologi cum Magistro in 4. d. 1. & S. Th. in 3. p. q. 59. q. 64. a. 3. & 4. Est autem expressa Math. 28. illis verbis: *data est mihi omnis potestas in celo, & in terra, & Psalmo. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, ac toto deinceps Psalmo vsque ad penultimum versum: quæ Patres constanter de spirituali Christi regno interpretantur: adeoque clara de se sunt, vt interpretatione non egeant. De hoc item regno citra dubium, ac disputationem verificantur iurate Dei promissiones Dauidi factæ. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam: ac per Lucam: *dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius. Daniel. 2. de Lapillo illo absque manibus abscesso, qui in montem excreuit magnum, eiusmodi fuit interpretatio: in diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cali Regnum, quod in æternum non dissipabitur. c. 7. de filio hominis Christo per visionem monstrato dicitur: *dedit ei potestatem, & regnum, & omnes populi tribus, & lingua ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpatur. Ezechiel. 21. Aufer cydarim, tolle coronam &c. donec***

venerit, cuius est iudicium, & tradam ei: scilicet, Filius Dei homo, cuius amore iudicium dedit Patet, quia Filius hominis est.

3 Ex vsu insuper ipso regia Sacerdotij Christi potestas demonstratur: cuiusmodi est Republicam Ecclesiam fundare Math. 16. *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: Superiorum electio, & tibi dabo claves regni caelorum. Petro, & successoribus, & de aliis Ministris, elegit duodecim ex ipsis, quos, & Apostolos nominavit: potestatis donatio: quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in caelis: quodcumque solueris super terram erit solutum & in caelis. Ac rursus alibi: quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Ad Ephes. 4. *unicuique nostrum data est gratia scilicet, secundum mensuram donationis Christi: ac infra: & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. 1. Corinth. 4. *scilicet, nos proximitate homo, vt Ministros Christi, & dispensantes mysterium Dei. 2. Corinth. 13. *Hæc scribo absenti, vt non præsums duritiam agam, secundam potestatem, quam Dominus dedit mihi in edificationem, & non in destructionem. Denique Sacramentorum institutio. Math. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. & Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. cuius, aliorumque Sacramentorum institutio esse Christum definitur à Tridentino Concil. sect. 7. Ex quibus omnibus singularis, ac suprema Sacerdotij Christi potestas regia satis euincitur: & quæ nulli alii adæquatè, & totaliter communicabilis sit, sed ad certam, pro eiusdem voluntate, mensuram.******

4 Reprehendendi meritò hic veniunt Lutherani negantes Christum ex hac potestate quidquam præter fidem præcepisse: quia Evangelium libertatis lex dicitur à Paulo. Sed non attendunt vesani homines dictam libertatis legem, quia non ex timore, atque animo feruli, sed ex filiorum amore mandata exequi debemus, ex quo iubentis Dei Filium habemus fratrem, & Spiritum gratiæ vberioris: non autem quia mandatis Dei antiquis non abrogatis, alii quæ à Christo latas non subiacemus. August. 19. contra Faustum, c. 13. *ajebat sapienter: nobis data esse Sacramenta, seu precepta virtute maiora, vtilitate meliora, saltu facilliora, numero pauciora, tanquam iustitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei. Instabant ex Ioan. 1. *data per Moysen, gratia autem, & veritas per Christum: ergo solus Moyses legislator fuit. Respondet Aug. lib. de spiritu, & litterarumque à principaliori denominari, atque censeri: principalis autem, quod habuit Moyses fuit legislator: quod autem præcipuum Christo, fuit gratiæ donatio ad exequenda mandata: Secundo comparatione eorum, quæ Moyses tam paucè præcepit Christus, eaque solum ad augendam in nobis gratiam, totque gratiæ auxiliis datis, vt præcepta etiam ipsa Christi gratiæ nomine meritò donentur, cuiusque propterea iugum suauè dicatur. Cæterum præcepta nonnulla, vt patet de Baptismo, & Sacramentis aliis, atque ex illis verbis Math. 23. *docentes eos seruare omnia, quæcumque mandauit vobis Ioan. 3. *Mandatum meum do vobis c. 14. *Si diligitis me mandata mea seruate: ac rursus: *qui habet mandata mea, & seruat ea cap. 15. *præcepta mea seruaueritis. Isai. 33. de Christo, Dominus legiser noster. Ierem. 31. *dabo legem meam in cordibus eorum.********

CERTAMEN II.

Sacerdotij Christi cum antiquis similitudo expenditur.

1 Licet sacerdotium Christi non rationis eiusdem, sed longè aliis omnibus eminentioris, & excellentioris sit, tum quia Deitate tantquam forma constituitur, vt vidimus q. 1. cert. 3. tum, quia nobilissimis sanctissimisque

sanctitatis genus; tum quia amplioris erat potestatis, tum, quia ad nobilitate valde, & sacrificium, & effectum erat (vt bene legalibus illud comparans expendebat Paulus ad Hebræ. 7. 8. & 9.) inde tamen inferitur omnibus aliis, quorum perfectiones eminenter proinde continebat, à quibusque adumbrabatur, similem fore debere. Quoniam verò gentilium Sacerdotia impura, fræda, nec vera fuere, & à quibus Sacerdotium Christi adumbrari indecens foret, nullatenus cum illis similitudinem habuisse Sacerdotium Christi, circa dubium sit. Cum solis igitur veris Dei veri Sacerdotibus conferendum hic, quoad similitudinem erit. Et quidem in lege veteri verum Sacerdotium, veròque Dei Sacerdotes fuisse ab eo solum negari poterit, qui totum veteri testamentum audeat negare. De Sacerdotibus legis gratiæ simile Sacerdotium Sacerdotio Christi habere ex eo satis liquet: cum sit in eis potestas offerendi idemmet sacrificium corporis, & sanguinis Christi incrementum, quod Christus obtulit in cœna, & cruentum in cruce, atque insuper conferendi veram sanctitatem tanquam in Ministris, & instrumentis Christi. De legis naturæ Sacerdotibus dubium esse potest, non quidem in similitudine aliqua cum Christo, sed in supposito: an scilicet veri fuerint in lege naturæ Sacerdotes Dei? eo quippe supposito, cum eis Primogenituræ iure in Sacerdotium contingeret sine vlla exteriori vñctione & cerimonia, Christi Sacerdotium Patris ac Mariæ Primogeniti sola interna Deitatis vñctione in Dei Sacerdotem deputati referebant: in veteri verò legis Sacerdotibus ad cruentum sacrificium, & sanctificationem populi legale deputatis, per vñctionem externam aperta Sacerdotis Christi per internam Deitatis vñctionem deputati in cruentum sui corporis sacrificium, veramque totius mundi per sui sanguinis effusionem, & asperionem imago fuerunt.

2. Vnica ergo in re præsentis difficultas est de veritate, & existentia sacerdotum in lege naturæ. Etenim de eis, quos in lege naturæ sacrificia Deo obtulisse ex Scriptura constat, sacerdotes non fuisse, sed id, vt particulares personas, ex peculiari deuotione, & cultu, non autem ex potestate, & autoritate sacerdotum, licet, docere expressè videtur, etiam de Melchisedech Anaæletus Papa epist. 2. decretali his verbis: *quia, licet prius, Aaron (à quo ait Sacerdotes Dei lumpisse principium) aliqui legantur sacrificium obtulisse, vt Melchisedech, & Abraham: hi tamen spontanea voluntate, non tamen Sacerdotali auctoritate hoc fecerunt. Quo testimonio à mari hæretici nonnulli de Melchisedech etiam, verum Dei sacerdotem fuisse negarunt apud Castrum aduers. hæres. verbo missa hæres. 2. nominæque Sacerdotis ab Scriptura cum donari, quia Rex erat, Rexque, Regiæque personæ Sacerdotes in Scriptura appellari consuecant: vt patet de filiis David 2. Regum 8. vbi Sacerdotes compellantur. Alij vero hæretici ex eo, quod dicatur Melchisedech ad Hebræ. 7. sine Patre, sine Matre, ac sine genealogia fuisse, eum verum hominem fuisse negarunt: Cum nullus præter Adamum, qui Abraham tempore non vivebat homo sine Patre, ac sine Matre fuerit. Itaque aliqui Melchisedech verum Angelum sub hominis specie fuisse asseruerunt, in quibus Origen. Dydimus, & alij apud Hieronym. c. 3. epist. 126. Euagri. Aliqui verò, quia à Paulo additur Melchisedech neque initium, neque finem dierum habuisse, non illum Angelum, sed diuinam personam hominis specie putarunt: Ita Hierax hæreticus apud Epiphani. hæres. 67. atque alij apud Aug. de hæresib. num. 34. vtra autem diuinarum personarum fuerit, non eis omnino conueniebat: alijs Patrem, qui à nullo originem trahit, alijs Filium, qui frequentius in scripturis, præcipue Abrahamo, hominis specie apparuit, ac qua Deus sine Patre, quæ homo sine Matre exitit, alijs Spiritum sanctum, qui assimilatus filio Dei in fornace Babylonico legitur, asserentibus.*

3. Certum autem ex fide est Melchisedech verum hominem fuisse. Etenim de eo Genes. 14. sic dicitur. *Rex Salem (postea Iebus, ac demum Ierusalem) & Sacerdos Dei altissimi, & exiuit obviam Abraham, & obtulit panem, & vinum, & accepit decimas ab Abraham.* Quæ cum historialiter dicuntur, verum illum humanum Regem, sicut alios, quos sacra historia narrat, non metaphoricum, & apparentem, ac proinde verum hominem probant. Præsertim cum id approbent Patres omnes, Hieronymus Epiphani. & August. citati, atque hic lib. etiam 16. de Ciuitate cap. 22. Ambros. 5. de fide ad Gratian. cap. 3. ac reliqui Patres tam citandi. Certum item de fide est Melchisedech purum hominem fuisse: cum solus Christus purus homo non fuerit per fidem. De ipsius gente siue genere, maior esse potest dubitatio. Irenæ. Hypolit. Euseb. Cæsar. Emiffen. & alij apud Hieron. proxime Cananæum illum credere, licet iustum. Hieronymus verò ipse ibi, ac lib. de quæstionibus, seu traditionibus Hebraicis in Genesim de vita, & morte Prophetarum cap. 5. Rupertus. 5. de Trinit. & operibus eius in Genes. c. 12. Abulen. Lippoman. Glossa, & Lyra in 14. Genes. docent fuisse Melchisedech primogenitum Patriarchæ Noë alio nomine Sem, ab Scriptura nominatum, atque Primogenitorem Abraham: atque sancit Hebræorum traditionem aiunt. Cui sententiæ tria videntur obstare. Primum S. Ignatius epist. 9. ad Philadelphios asserens Melchisedech virginem fuisse, cum quo pugnat fuisse illum Noë filium, Sem Abrahami Progenitorem. secundum S. Epiphani. asserens Sem Abrahami tempore mortuum iam fuisse, ac proinde, neque ipsi victori occurrere potuisse, sicut Melchisedech occurrisse ab Scriptura narratur. Tertium: quod hac ratione Melchisedech sine Patre, ac sine Matre planè non fuerit, cum oppositum asseratur à Paulo recitato. Cui simile aliud argumentum adiunge, quod initium, & finis dierum Sem ab Scriptura narretur; cum tamen ab eodem Paulo dies Melchisedech, neque finem, neque initium habuisse dicantur.

4. Postremæ nihilominus sententiæ huic Hieronymi, & aliorum de genere, & gente, siue genealogia Melchisedech lubens acquiesco, cui certum, & quartum argumentum non magis aduersantur, quam Hypoliti, atque Irenæi opinioni. Siquidem, etsi Cananæus esse admittatur, Patrem & Matrem, finemque dierum habuisse, & initium, extra dubium est: quare obiectio hæc veritatem Catholicam de vero, puroque homine Melchisedech oppugnat, vt videmus, non autem vnquam potius, quam alteram de eius genere sententiæ. Pro omnibus ergo, & veritate Catholica respondetur: Melchisedech Regem Salem, sub hoc speciali, & indiuiduo nomine, sub quo solam Christum erat figura ex Psalmo. 109. & Paulo ad Hebræ. 7. Patrem, Matrem, initiumque & finem dierum nunquam in Scriptura habere; licet, sub alio nomine, nempe, idem ea omnia habuerint, sub quo Christi typum expressum à Deo non gerebat. Sic vulgo, & bene respondetur. Dico tamen secundò: Paulum non negare absolute huic Melchisedech personæ parentes absolute, sed solam ex tribu Levi; neque absolute negauit initium, & finem dierum, sed Sacerdotij successionem narratam, vt ipse successisse alteri dicatur ab Scriptura, eique alium, sicut alij legis Sacerdotes, alijs successisse dicatur, vt inde probet Christi fuisse Typum, qui non ex genere Levitico, nec successione Sacerdos fuit, & cuius Sacerdotio nullus succederet, sicuti neque Sacerdotio Melchisedech: quia æternus est Sacerdos in re sine initio aut sine Sacerdotij, sicut ille in historia: successor autem mortuus, & periturus tantum est: quare, & Melchisedech æternitatis huius Typo nemo refertur, Christo autem non erit. Lege totum c. 7. ad Hebræ. Duo verò alia, quæ speciatim nostram hanc sententiam impugnabant, momenti sunt exigui. Etenim eruditissimum alioqui virum S. Epiphanius in morte

632 Controversia de honorariis Christi, &c.

Sem ante Abrahamæ tempus deceptum fuisse ex Scriptura conuincitur. Constat enim ex Genes. 11. Sem quingentis duobus annis diluuii superuixisse: constat item Abrahamum ducentis nonaginta duobus post diluuium annis ortum esse; atque vixisse centum septuaginta quinque, non amplius, autem liquet ex Genes. 25. quare, & constat ducentis decem annis ante obitum Sem Abrahamum natum, mortuum verò ante ipsius obitum annis triginta quinq. Nec aliter de sententia S. Ignatii opposita iudicium ferendum est. In tanta enim doctorum, & Patrum in re scripturaria doctissimorum, aduersante copiâ sanctum Ignatium deceptum potius cordatus credetur.

5 Certum tertio ex fide est, eundem Melchisedech verum fuisse Dei Sacerdotem, tum quia Genes. 14. *sacerdos Dei Altissimi* commendatur: tum, quia Psalmo 109. Sacerdos absolutè dicitur, atque excellentissimi Sacerdotis Christi Typus illis verbis, *Te es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, tum, quia ex his verbis Paulus ad Hebræ. 6. num. 20. dixit, *Iesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum*. & cap. 7. num. 1. *Hic enim Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei summi*, quæ omnia ad improprios sensus diuertere, non nisi hæreticorum est. Maxime, cum Patres, atque interpretes omnes eandem vero Melchisedech Sacerdotio interpretentur, nec verum Christi, excellentissimumque Sacerdotem aptè cum improprio Sacerdotio compararetur à Paulo, Psalmistâ, & Patribus omnibus. Igitur Melchisedech verum Dei Sacerdotium fuisse tenendum Catholicè est; licet non vinctio aliqua, aut ceremoniâ, ritûve aliquo externo deputatum, atque in Sacerdotem institutum, quod solum voluit Anacletus pro hæreticis obiectus, sed iure solo primogenituræ ex Noë, quam habuisse Melchisedech ostendebamus, docent Hieronym. Rupert. Abul. Lippoman. Lyra, & Glossa locis citatis asserentes Primogenitis ex populi consensu, & auctoritate hereditario iure in lege naturæ Sacerdotium contigisse. Et quidem negari in ea lege veros Dei Sacerdotes, non ab Anacletò doctissimo Pontificè, sed neque à mediocriter erudito, & literato homine possum. Cum enim Dei Ecclesia visibilis à mundi constitutione constans perpetuâque fuerit, ne sine visibili capite trunca esset, ac defectuosa, veros semper visibiles Dei Sacerdotes fuisse credendum citra dubium est: cum Ecclesiæ Dei caput sit Sacerdos: quare dum Anacletus Melchisedech cum reliquis legis naturæ à Sacerdotio exclusit, non quidem à vero Sacerdotio, sed ceremoniali exclusit. Denique interpretatio illa Sacerdotij pro regno inutilis est: cum vtrique dignitas seorsim altera ab altera in Melchisedech pumeretur ab Scriptura: atque ea usurpatio impropria sit, semelque tantum in Scriptura pro filiis David usurpata.

6 De Sacerdotij verò huius Melchisedech sacrificio lis adhuc cum hæreticis manet. Licet enim legis naturæ Sacerdotia nullum à Deo determinatum sacrificium haberent, ac plerumque sacrificium animalium cædibus, quibus Deum vitæ, mortisque creaturarum auctorem, & Dominum populus profiteretur peragi credendum sit: at vero Melchisedech peculiari Dei illustratione, instinctu atque motione, panem & vinum Deo in sacrificium obtulisse Catholicæ Ecclesiæ totius iudicium est. Idcirco eius, atque Eucharistiæ hostes Caluinus, Kemnitius, atque huius farinae nouatores alij negant oblationem panis & vini Melchisedech verum sacrificium fuisse.

Probant primò; quia oblatio illa panis & vini à Melchisedech facta fuit Abrahamo victori, & vernaculis ex cæde Regum illorum fessis ad epulas, & refectionem, vt referunt Genes. 14. & ad Hebræ. 7. non Deo in sacrificium, de quo tamen nulla eis locis mentio: quod argumentum ex loco Pauli maioris momenti videbitur considerantibus Paulum ibi exactè com-

parantem, & explicantem Sacerdotium Christi, cuiusque sacrificium cum Sacerdotio, & sacrificio Melchisedech sacrificio huius panis, & vini Melchisedech ex quo maxima esset similitudo, nullam comparationem fecisse, neque illud sacrificium nominasse. Accedit Iosephus 1. antiqui c. 18. asserens pane illo, & vino Melchisedech Abrahamum, & exercitum conuiuio exceperisse: quod ipsum indicant Chryost. & Caiet. in Genesim.

Sed tamen argumenta hæc læuia satis sunt. Argue, vt ab autoritate Iosephi incipiam; panem conuiuij illum, & vinum ex sacrificio fuisse non negat: affirmant autem antiqui Rabini samuel lib. de aduentu Messia c. 19. Rabbi Moyse, & alij apud Galatin. 10. de Arcan. Catholicæ verit. cap. 4. 5. & 6. Genebrard. in Chronographia arate 3. pag. 13. Epiphani. hærel. 55. Glem. Alex. 4. Stromat. circa fin. Ambros. de uis, qui inquitur c. 8. & 4. de Sacrament. cap. 3. & 1. de Abraham, c. 3. & 3. de fide c. 5. Hieronym. cit. epist. ad Euzer. citans Hyppolitem, Emissenium, Apollinarium, & Eustathium & d. 1. epist. ad Marcel. & epist. 112. & in 26. Matth. Traditur etiam in cap. *Accipite* de consecrat. d. 2. atque ab alijs Patribus citandis in sequentibus.

7 Illud autem de omissione scripturæ falsum omnino est, vt enim doctè obseruauit Bellarminus verbum *Proferens* in Hebræo positum ipsum est, quod Iudicum 6. significat victimæ productionem ad immolationem, & sacrificandum. secundo probatur prolationem illam significare productionem propriam rei, fuit materia ad sacrificium ex causali in in textu adhibita: sic enim habetur Genes. 14. *Proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei*; ac sic expressè dicit, protulit, quia erat Sacerdos Dei, quod nisi Sacerdos proferre non poterat: panem autem, & vinum non sacrificij, siue ad sacrificium, sed ad purum conuiuium, & refectionem laicis quibus proferre possent: quare, & interpretè eius prolationis causam Melchisedech Sacerdotium Scriptura assignaret: ergo, cum aptè reddatur, dicendum est ea protulisse ad sacrificium Dei in gratiarum actionem pro victoria Abraham; vt arguunt Patres communiter, non autem ad purum conuiuium. Respondent in Hebræo esse particulam, quæ respondet coniunctiõni latinæ *et* quæ causalis sicut est, septuaginta verò in Græco potuisse dictionem Græcâ, cui responderet latina *autem*. Sed tamen Hebræa illa vox causalis etiam in ea lingua est, vt bene probat Sanctus Pagninus 1. instit. c. 24. quare ritè rectèque illam in causalem enim latinam vulgatus vertit. Item, vt quid, adhuc sine causali, ad panem, & vini comunem productionem à Rege iam nominato Sacerdotij mentio orationem, at sensum interrumpere importunè? Respondent secundo: causalis illa, mentioneque Sacerdotij Melchisedech rationem reddi non oblationis panis, & vini, sed benedictionis, quam subiungit textus. Sed contra primò: quia causalis enim in omni lingua prædictorum, non dicendorum causam, & rationem reddit: maxime, cum post figuratam orationem ponitur, vt hic iuxta Hebræum, Græcum, & Chaldaicum textum legitur, in quibus ante verbum *erat* finitur periodus, vt eruditè obseruat noster Valquez d. 86. c. 3. sine: vt sensus sit Regem sodomorum exisse obuam Abrahamo; at verò Melchisedech non vacuus manibus, sed proferentem panem, & vinum *erat enim Sacerdos* &c. contra secundo: quia, vt lux propagatâ Abrahamo Progenitor Melchisedech benediceret Sacerdotio opus non habebat, quare, neque eam causam, vt necessariam sacer textus apponeret. Tertio: quia si sacrificij, & religionis causa abesset, tot spolijs & cibarijs onustum ducem, & exercitum parum victorem pane, & vino nimis angustè, & ieiunè Rex Melchisedech conuiuasset. Denique celebris adeo Sacerdotij in Scriptura sacrificium nusquam ab ea me-

moratum quis credat? at, nisi huius prolationis, siue oblationis panis, & vini nulla alia est in scriptura mentio. Ad obiectionem de omissione Pauli dicam certamine sequenti. num. 3.

CERTAMEN III.

Imago Sacerdotij Christi, in Sacerdotio Melchisedech illustratur.

1 Quo autem Sacerdotium Christi Sacerdotio Melchisedech simile fuerit, aut secundum huius ordinem, & formam futurum à Deo prænuntiaretur Psal. 109. satis minime ostendit Paulus ad Hebræ. 7. ubi Sacerdotij Christi præ Aaronico, & legali excellentiam designat à num. 2. non à primo, ut volebat Bernal propter benedictionem Melchisedech ad Abrahamum ibi memoratam: tum quia benedictio communis erat Sacerdotio Aaronico cum Melchisedechico: tum quia textus ipse repugnat: siquidem num. 1. historiam occursum Melchisedech Abrahamo victori posuit breui, ac sub initium numeri 2. ostendere aggreditur, quo pacto secundum ordinem Melchisedech Pontifex Aaronicus perfectior factus fuerit Christus ut probandum posuerat. c. 6. sine quare sic ibi oritur: *Primum quidem, qui Melchisedech, interpretatur Rex iustitiae. Qui non fuit Aaron, sed Christus, qui factus est iustitia, & sanctificatio nostra. Secundo: Deinde autem Rex Salem, quod est Rex pacis. Cum Aaron, nec Rex fuerit, nec pacis, & amicitiae cum Deo reconciliationem suis sacrificiis hominibus obtinuerit, sicut sacrificio suo Christus perfecit: ideo Princeps pacis ab Isaia prædicatus. Tertio: sine Patre, sine Matre, sine Genealogia: intellige in Scriptura memoratis, vel Leuitici generis, ob quam, vel iure hereditario, vel electione, quæ non nisi ex Leuitico genere esse poterat, in Sacerdotium succederet, ipse succederetur: quod habuisse Christum, qui, quæ Deus sine Matre, quæ homo verò sine Patre fiat, ostenditur. num. 13. & 14. in quo enim hoc dicitur de alia tribu esse, de qua nullus aliter præfuit. Manifestum est enim, quod ex Iuda creatus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. Et in hoc quidem alia prerogativa Sacerdotij Melchisedech ordine quarta continetur: nempe eius æternitas figurata: æterna enim, quæ sunt, successore sui opus non habent, sed quæ pereunt, ut ad rem hanc expendit Paulus. num. 23. Plures facti sunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere: quare de eo subiunxit num. 3. Neque initium dierum, neque finem vite habens assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. De quo immèdiate ad verba ex num. 23. subdit. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium: unde & saluare in perpetuum potest.*

2 Quinta excellentia: quod Abrahæ, atque eius semini contigisset in eius lumbis (excepto Christo Domino, cui, & B. Virginis addo) qui non ex virili semine ortus ab Abraham fuit, neque benedictionis curatione egebat (ut aiunt S. Th. 3. p. q. 31. a. 8. & Scholastici reliqui ex August. 10. de Genes. ad litter. c. 20.) benedixit, ac prouide Aaroni, & Leuitis, ac Sacerdotibus cunctis: sine ulla autem contradictione, quod minus est, inquit Paulus, à meliore benedicitur. sunt autem ex Christi Sacerdotio gentes omnes benedictæ. Sexta excellentia: quod Melchisedech decimas ab Abrahamo receperit, ut Sacerdos ipse, eiusque posteris Aaroni, & Leuitis, qui per Aaronem progenitorum decimati sunt, longe superior. Quod autem ab Abrahamo decimas receperit Melchisedech, licet in vulgata non satis exprimat, expresserunt septuaginta ibi, & Iosephus. 1. antiquitat. c. 18. fatique ex vulgata

textu cum Melchisedech Abrahamo benedixisse dicat, eiusque sacerdotium, cuius officij est decimas accipere, non soluere, commendauerit. septima excellentia sacerdotij Melchisedech, & Christi: quod adeo populo decimali emineat: cum tamen Sacerdotes secundum ordinem Aaron, id est Leuiticum fratres sint decimalis populi, habeantque decimas sumere à populo, cuius pars sunt, id est à fratribus suis: quamquam, & ipsi exierant de lumbis Abrahæ: quare populo decimali non minus eminent; cuius autem generatio non annumeratur in eis decimas sumpsit ab Abraham. Octaua denique excellentia: quod multitudine Sacerdotum secundum ordinem Aaronis, Sacrificiorum que ad legalem illam sanctificationem singulorum, & omnium, insufficientia & imperfectio monstratur: contra verò vnitatem sacrificij, & sacerdotij Melchisedech, sacerdotij & sacrificij Christi perfectio, & virtus: totum enim sanctificationis nobilioris nostræ negotium hoc fecit semel seipsum offerendo vnus Sacerdos Christus, qui vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Qua de causa semel Genes. 14. sacrificio Melchisedech ab Scriptura memoratum aiebat Ambros. in 7. ad Hebræ.

3 Atque his quidem octo Sacerdotium Christi, & secundum ordinem, & similitudinem, non Aaron, sed Melchisedech: quare, & Aaronico perfectius, excellentiusque longè fuisse, ut intendebat, probauit Hebræis Paulus. Nonam verò, præcipuamque inter Sacerdotium Christi, & Melchisedech similitudinem ex vniuerso sacrificio in pane, & vino petitam consulto ibi omisit: tum quia in eo non eminebat Sacerdotium Melchisedech legalibus, & Aaronicis, in quibus similis erat oblatio, ac prouide sacerdotij præ Aaronico, & legali perfectio inde clarere non poterat: tum, quia Eucharisticum Sacrificium Hebræis, quibus scribebat tanto scandalo initio erat, ut eo semi auditio ex Christo litigarent Iudæi adimicem dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? tum denique: quia, si huius Sacrificij panis, & vini Eucharistici mentionem faceret Iudæis ignaris de rei oblatæ identitate cum oblata, per sacrificio cruentum Corporis Christi, possent illum redarguere contra octauam excellentiam sacerdotij, & sacrificij Christi: quod non vnica oblatione consummasset sanctificatos. Eam verò similitudinem nonam inter sacerdotium Christi, & Melchisedech Patres omnes persequuntur. Theodoret. q. 36. in Genesim ait Melchisedech dedisse Abrahæ panes, & vinum, prout moris erat Deo omnium talia offerre: animaduertebat eum, & in hoc typum patet. Damasc. 4. de fide c. 14. Mensam illam nostram adumbrasse ait. Consonat Euseb. 5. demonstrat. Euang. c. 2. & 3. Cesar. Arelat. 15. Biblioth. hon. 5. de Paschate, & Chrylost. hom. 25. in Genes. dicens: illum panem, & vinum fuisse figuram Eucharistia. Accipiunt Eucher. ibi Cyprian. lib. 2. Epist. 3. ac ferri. de Cena Domini ait: in oblatione Melchisedech figuratum esse inuentam Christi oblationem. August. 1. contr. aduers. Ieg. & Proph. c. 20. & 16. de Civit. c. 22. ibi primum apparuisse sacrificium, quod à Christianis offertur. Reperit lib. & c. 17. & concione. 1. in Psalm. 33. ad id Psalmi, 109. Tu es Sacerdos, &c. ad quæ Cassiodor. ac vetustiores interpretes Remigius, & Theodoret. atque ad Hebræ. 5. num. 9. Primas. Theophylact. Occumen. Haymo, & Anselm. Isidorus. 7. Etymolog. c. 6. & lib. allegor. sub int. Concil. Aguisgran. Pepini tempore lib. 1. cap. 17. & 18. dicit Melchisedech in eo facto typum gessisse Christi. Trident. sess. 22. c. 1. Christus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit. Ecclesia canone Missæ: quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Officio de Eucharistia: Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum

634 Controversiæ de honorariis Christi, &c.

secundum ordinem Melchisedech panem, & vinum oblatum.

4. Obicit primo Kemnitius: panis, & vini oblationem etiam fuisse legalium Sacerdotum: ergo specialis typus Sacerdotis Christi in eo non fuit Melchisedech. Respondetur ex Vasquez d. 86. cap. 4. §. *Melius tamen* distinguendo; panis & vini seorsim concedo; nam panis solius oblatio facta legitur Exodi. 29. Levit. 7. 23. & 24. vini autem solum numer. 28. simul autem panis, & vini, quomodo integrum Eucharistiæ Sacramentum inuentum figuratur, nego antecedens. Cauendum autem sumus, ut sic loquar, quorundam Catholicissimus, qui, ut Kemnitio se opponant, solam hanc oblationem panis & vini specialem Sacerdotij Melchisedech docent, reliqua verò cum Sacerdotibus legalibus fuisse communia, cuius oppositum ostendit Paulus, ut vidimus. 7. ad Hebræos.

Obicit secundo: sacrificium ordinis Aaron erat cruentum: quare viuidior imago præcipui sacrificij cruenti Christi, quam sacrificium panis, & vini Melchisedech, ergo potius dicitur Christus Sacerdos secundum ordinem Aaron, quam Melchisedech. Confirmatur: quia, cum Sacerdotium essentialiter respiciat sacrificium, maior similitudo in sacrificio necessario arguit similitudinem maiorem in Sacerdotio. Respondetur dato antecedenti toto, negando consequentiam, quia, ut bene Vasquez, Suarez, & alij, ordo sacerdotij non sumitur ex viuidiori imagine sacrificij, imò, & Sacerdotij vnus respectu alterius: sicut neque ordo legis; alioqui lex Euangelij secundum legis veteris, a qua expressius figurabatur esset, non autem secundum ordinem legis naturæ. Ordo igitur Sacerdotij non ex sacrificio solo, sed ex aliis omnibus desumitur, in quibus maiorem fuisse proportionem Sacerdotij Melchisedech, quam Aaron, ad Sacerdotium Christi ostendebat Paulus, ut expendimus num. 1. & 2. Vnde patet ad confirmationem negandam esse illationem, neque enim ex similitudine maiori sacrificij, etiam præcipui, arguitur maior proportio inter Sacerdotia: Secundo nego eandem consequentiam: quia sacrificium cruentum non ita fuit proprium ordinis Aaron, ut non fuerit etiam omnibus sacerdotiis legis naturæ, imò, & Melchisedech: ut autem vnus, ac non alterius potius ordinis esse dicatur, non sunt attendenda verique communia, sed peculiaria: per communia enim vtriusque ordinis æquæ esset. Cum autem præter sacrificium cruentum Sacerdotio Melchisedech cum Sacerdotio Aaron communi proprium, atque speciale adesset in Melchisedech, panis scilicet, vini que oblatio, per hoc magis proportionabatur sacrificio speciali Eucharistiæ, quam Sacerdotium Aaron, cui in sacrificio cruento concordabat.

Tertio respondeo: negando postremam partem antecedentis. Cum enim sacrificium Melchisedech sacrificium Christi incruentum exactè representaret, atque hoc sit sacrificij cruenti Christi Domini imago exactissima, nequit non idemmet sacrificium Melchisedech imago exacta incruenti sacrificij esse, quin exactè etiam cruentum sacrificium, cuius imago perfectissima incruentum est, representet: sicut imago exacta imaginis perfectæ Cæsaris nequit non Cæsarem exactè representare. Accedit quod, cum ex parte rei oblata, & ex parte offerentis principalis idem sit incruentum Christi sacrificium Eucharisticum cum cruento crucis, non poterat vnum quoad substantiã referre, quin referret & aliud. Quoad maclationem verò quæ fuit in sacrificio cruento physice à Christo Sacerdote non fuit, sed solum moraliter per voluntatem, qua mortem acceptauit oblata, obuiamque hostibus interfecturis processit: quare physica maclatione animalium non adeo exactè Christi cruentum sacrificium eo modo, quo peractum ab ipso fuit representabatur. Item, cum maclatio legalis Sacerdotij animalium esset, quæ

res alterius generis erat, cruenti sacrificij humanitatis atque sanguinis ipsius effundendi perfecta admodum representatio non fuit, & quæ vini effusione, panique oblatione à Melchisedech, quæ idem offerens eandemque rem oblata sacrificio cruento exactè in incruento representabat, non superaretur in representatione cruenti. Ex quibus constat nihil in argumento hoc, quod alios vexauit, in variisque euolutiones egit, firmum esse, quodve non claudicat solum, sed & in crus vtrumque non cadat. Postrema qualitas, & similitudo Sacerdotij Christi, & Melchisedech à Dauid, & Paulo memorata æternitas fuit. Eius tamen explicatio non adeo facilis negotij est, ut integrum quæstionem non expofcat.

QVÆSTIO III.

De Æternitate Sacerdotij Christi.

Vidimus Sacerdotium Christi æternum præsumptum fuisse Palmo 109. num. 5. *Tu es Sacerdos in æternum.* Atque à Paulo ad Hebræos. 7. *Sempiternum habet Sacerdotium.* in eoque à Sacerdotio Melchisedech figuratum modo explicato quaest. 2. cert. 2. num. 4. & cert. 3. num. 1. Videndum autem hic est, quo sensu Sacerdotio Christi æternitas conueniat.

CERTAMEN I.

Æternitatem Sacerdotij Christi inproprie sumi perperam existimarum nonnulli.

SOarez d. 46. sect. 4. sine Bernal. d. 60. sect. 3. §. 2. numer. 63. & 69. alijque Doctores, qui nostri Vasquez ætate contra hæreticos decertarunt, ut ipse refert d. citata docent illud in æternum, & sempiternum de Sacerdotio Christi dictum, non æternitatem, sed magnam quandam durationem, vique in faculorum finem significare, iuxta vulgarem phrasim, qua æternum duratura æterna, perpetua, ac sempiterna vocamus. Sic census perpetuus, pluraque alia, & Latine, & Hispanè vocamus: quæ etiam Scripturæ phrasim esse, ut constat ex pluribus, vbi de veteri testamento, eius sacerdotibus, sacrificiis, ac caeremoniis magno solum tempore, nempe vsque ad legem Evangelicam duraturus dicitur *legitimum, sempiternum erit vobis.* Constat mat Soarez: quia illud in æternum Palmi 109. in Hebræo legitur *in faculum.* & Bernal. quia illud quod Paulus subiungit *unde in perpetuum potest,* in textu graeco pro *perpetuum* est dictio quæ respondet Latine *continuo* Hispanè *alia continua,* ut sensus, & propositio sit *continuo, siue a la continua, potest saluare.* Subdit autem *semper viuens ad interpellandum.* Vnde arguit Bernal Tam diu est Sacerdotium Christi, quam diu est Christus viuens ad interpellandum pro nobis: at post finem sæculi non viuet ad sic interpellandum pro nobis, cum nulla post finem mundi futura sit Christi pro nobis interpellatio, quidquid illa nunc sit: ergo quando dicitur mundus solum durabit Sacerdotium Christi, non autem per æternitatem. Probat secundo: quia nequit esse Sacerdotium sine sacrificio, ut aiebat Paul. ad Hebræos. 7. num. 3. vnde num. 4. de Christo ait *si esset super terram* id est, non obisset per sacrificium sui cruentum, ac in terra viueret, nec esset Sacerdos, ad quæ Christus, quo modo? quia nec obrulit, nec Sacerdotio functus est: at qui ad finem solum mundi vsque, non ultra durabit aliquod Sacerdotij Christi sacrificium, videlicet incruentum Eucharistiæ, postea vero nullum: ergo Sacerdotium

cerdotium Christi cum mundo, & durabit, & deficiet.

2 Tertio arguit autoritate Concilij Tridentini (expressa patet) sess. 22. c. 1. quia tamen per mortem Sacerdotum eius extinguendum non erat, in cena nouissima, qua nocte tradebatur, ut dilecti sponsa sua visibile relinquere sacrificium quo cruentum illud representaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & successoribus, ut offerrent præcepit: ergo ex mente Concilij ea solum ratione se Sacerdotem in æternum declarauit Christus, quia eius sacrificium æternum est: at hoc solum est æternum sumpta æternitate non proprie, & strictè, sed pro magna duratione quadam, nempe in sæculi finem, non ultra: ergo ea ratione se æternum Sacerdotem Christus declarauit. Quarto confirmat: quia æternitas & de Christi Sacerdotio est secundum ordinem Melchisedech: id est, secundum sacrificium Eucharistiæ ab illo adumbratum: ergo durabit solum quædam Eucharistiæ sacrificium.

Denique ex eo, quod æternitas præfata Sacerdotij Christi secundum ordinem Melchisedech fuerit prænuntiata, atque æternitas Sacerdotij huius propria non fuerit, sed solum, quatenus successor ei ex genere Leuitico non fuerit, neque alicui ex eodem genere successerit, ac proinde nec initium habuerit dierum, nec finem temporis, quatenus in eo æterna est imitatio, vel alia quavis demum ratione, videtur æternitatem Sacerdotij Christi æternam proprie non fore: plique æternitas secundum ordinem, siue ordinis Melchisedech minime foret, sed alterius longe diuersi, ut patet. Atque hæc quidem sunt omnia, quæ pro sententia hæc excogitari posse videntur: sed tamen nihil in eis firmitatis inuenio, ut æternitas Sacerdotio Christi attributa in scriptura sensu improprio accipienda sit: cum sine vilo incommodo proprio capi, & explicari queat, atque in eo acceptum fuisse ab illa iudeat contextus, ut hic, & certè: expendemus.

3 Hebræa illa Soanij lectio in saculum, nihil præstat: nam saculum significauit in scriptura propriam æternitatem. Sic Christus dicitur Pater futuri sæculi, id est, æternitatis futura: quare vulgata versio standum est. Nec magis lectio Græca continuo, posse saluare intulit Paulus ex sempiterno Christi Sacerdotio, atque hoc ex eo, quod maneat in æternum Christus, non autem ex interpellatione, in sæculi finem, quam potius ex Christi, & Sacerdotij æternitate deduxit, neque in Bernalis sententia durationem sacerdotij ex duratione interpellationis, quæ neque in eius sententia sacrificium proprie est, potuit deducere: cum duratio Sacerdotij per ipsum ex duratione sacrificij metienda deducendaque necessariò à posteriori sit: quare ex duratione interpellationis, quæ sacrificium uero est, malè deduceretur. Illud autem principium de necessaria existentia Sacerdotij cum sacrificio, ut, cum hoc exercendum iam deinceps non sit, nequeat durare Sacerdotium, falsum omnino est. Quæuis enim potestas transactio suo exercitio perueniat, licet essentialiter respectiua actus sit, ac proinde, ut primo sit, actus possibilitatem supponat, ut per phycas, & morales potentias discurrendo patebit. Neque enim oportet quamuis potentiam semper, & ubique ad actum reduci; sed satis est, ut quando oportet, & ubi oportet exerceatur: quod si producta ad vnus actus exercitium fuit, frustra producta minime fuit: eo autem transactio, quidnam ipsius exigit destructionem? nisi multum ad hæresim damnatam à Trident. sess. 23. can. 1. accedatur: scilicet Sacerdotium esse purè ministerium. Confirmo: quia mancus, cæcûsque Sacerdos, ut deinceps celebrare non possit, Sacerdotium non amittit: sed verus Sacerdos perseuerat.

4 Neque verò aliud probat Pauli testimonium, R. P. Christoph. de Ortega de Deo vno & Trino.

etiam adiuncta Chryostomi interpretatione in eo sensu distorto, quo vtrumque ab aduersariis inducitur. Concludebat enim Chryostomus eo sensu nec si esset Christus super terram, fore Sacerdotem quia nec obtulit, nec sacrificio functus est. Ergo si foret super terram, ac iam obtulisset, functusque de præterito sacrificio fuisset, esset Sacerdos, licet functurus deinceps sacrificio non esset: ergo contra te superueneret futuri actus sacrificandi Sacerdotium. Sed verò sensus Pauli longè alius est, ut profundè penetrauit Vasquez d. 86. c. 1. num. 4. referens illud si adhuc esset super terram ad tabernaculum, quod finxit homo, Salomon, nec esset Sacerdos Christus, de quo immediatè dixerat. Talem habemus Pontificem, qui confedit in dextera sedis magnitudinis in cælo sanctorum minister, & tabernaculè veri, quod finxit Deus, qui in cælo posuit tabernaculum suum, & non homo, Salomon, qui posuit tabernaculum Dei in terra: in illud quippe Sancta sanctorum, quod finxit Deus, ut Sacerdotem summum introisse Christum dixerat, c. 6. sine non per sanguinem animalium, sed in proprio sanguine, ut dicit c. 9. Probat autem Christum non fore Sacerdotem tabernaculi Salomonici, etsi perduraret: cum essent, qui offerrent secundum legem munera, ac non ex Christi potestate communicati, qui legales Sacerdotes, exemplari, & umbra deseruiant cælestium, id est Sacerdotij Christi in sancta sanctorum tabernaculi cælorum, quod finxit Deus ad cuiusque imitationem tabernaculum hominis factum ostendit Paulus ex 24. Exodi n. 40. veri autem tabernaculi Sacerdotem vrbam sui Sacerdotij esse factum, & vrbatice tabernaculi sacerdotè fieri decenter nequit. Quare, nec si hoc in terris esset, Christus esset ipius Sacerdos. Anselmus ad eum locum illud si esset super terram, ad hostiam immolandam, quæ immediatè præcesserat in textu necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat retulit, & nec tunc fore Christum Sacerdotem ait, quare non ex defectu sacrificij, ut inferebat Bernal, sed ob Pauli rationes alias à nobis explanatas.

5 In testimonio Tridentini nihil est præsidij: sensus enim non est: duratione sacramenti, quod instituebat, declarari Sacerdotij Christi æternitatem, eiusque sensum, sed institutione ipsa sacramenti duraturi post imminentem iam iam Sacerdotis instituentis mortem, declarari sacerdotis, & sacerdotij æternitatem propriam: quia potestas, quæ nec morte intercipitur, sed viget, ea procul dubio æterna proprie est, non caduca, & temporaria, ut patet. Quarta ratio nullius est ponderis. Nam figuratum non oportet trahi ad eum ordinem rerum phycum, in quo figura, & imago sui est: Sacerdotium autem Melchisedech, licet temporarium, cum eius origo & successor in ordine, & origine legalium Sacerdotum non inueniatur, proinde, quasi de æternis in scriptura agitur non assignato Patre, Matre, genealogiæque ipsius, neque temporis initio, vel fine; solum ex eo ordine censenda sunt, in quo figantur: figuratur autem æternam proprie fore. Nec satis est similitudo in sacrificio, ut ad ordinem Sacerdotij trahatur: nam in sacrificio sui cruentio simile Sacerdotium Christi fuit Aaronico legali, ad cuius ordinem non trahitur. Cur autem dicatur secundum ordinem Melchisedech ostendimus ex Paulo, q. 2. sed instat Bernal, iuramentum, quo Deus Psalmo 109. Sacerdotij huius æternitatem confirmauit, ut otiosum non sit, aliquid mysteriosum nec cognitu faciliè designare nempe Eucharistiæ sacrificium tanquam æternitatis illius menturam. Sed non satis mysteriosa cognitioque difficilis est æternitas ipsa propria Sacerdotij: eam plures hæretici negant, neque eo adhuc iuramento interposito Bernal recognoscit.

LI III CERTA

CERTAMEN II.

Propria Sacerdotij Christi aeternitas est non solum in effectu, sed in ipso.

S. Th. q. 22. a. 5. conclus. 2. docet aeternitatem Sacerdotij Christi non in ipso, sed in effectu gratiae, & gloriae fore. Consentit Kemnitius suo nomine odiosam suspectamque Catholicis conclusionem reddens, quam sola ratione nostri Vasquez impugno; quia sic etiam legale, & Christianum Sacerdotium ratione gratiae, & gloriae, quam impetrat, siue ex opere operato contulerunt, aeterna sunt, sicut Sacerdotium Christi, de quo in aeternitate distingui à Legali aiebat Paulus. Nec refert Christianos Sacerdotes esse minus principales, quam Christus sit, qui Principalis Sacerdos noui testamenti est: nam quid dices de legalibus? deinde, licet Christianum Sacerdotium minus principale sit, aeternum aequè erit, ac principale Sacerdotium Christi. Soar. proximè, & Petrus Hurtado. d. 80. sect. 3. docent fore aeternum Sacerdotium Christi, quia aeterna sui cruenti sacrificij apud Patrem, vel precando pro ipsius fructu ab hominibus precipiendo, vel de precepto gratias agendo moraliter sacrificauit, v'his docet Gregorius. M. 1. Moral. c. 21. *sine intermissione pro nobis Redemptor immolat, quia sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem* (quidni etiam passionem?) *demonstrat.* Videturque idem docere Paulus ad Hebræ. 7. illis verbis, quae post aeternitatem Sacerdotij subiunxit: *semper viuens ad interpellandum.* In primis haec etiam sententia, vel eo dupliciter Catholicis Doctoribus deberet, quod Caluino, & Kemnitio placuerit apud Vasquez d. 85. c. 1. num. 4. §. *verum, quia aliquis* circa med. Gregorius sacrificium, pro quantis petitione, laxè nimirum, usurpauit: siquidem incarnatio, nedum eius commemoratio, sacrificium non fuit. Paulus non fauet, neque enim interpellatio sacrificium est, aut nominatur à Paulo, nec quidquid sit, aeternè durabit: cum post iudicij diem nihil gloriae adhuc accidentalis sit nobis à Patre Christus petiturus. Item interpellatio non solum non est sacrificium, sed neque actus proprius Sacerdotij, cum Monialibus etiam, ac Choristis, quos vocant, Religionum ex publica etiam deputazione competat. Quod etiam habet gratiarum actio simplex, ac non per sacrificium. Si ergo, vt Sacerdotium duret per hoicem, necessarium est aliquod proprium ipsius exercitium, atque interpellationis actus tale non sit, neque aeternum duraturus, neque gratiarum actio simplex sit Sacerdotij propria, quo pacto Sacerdotij Christi per haec aeternitas consistet. Denique similis commemoratio, siue precando, siue gratias agendo à legalibus, & Christianis Sacerdotibus aeternè fieri Deo potest: quum inde eorum Sacerdotia aeternè dureunt.

2. Solidam ergo rationem aeternitatis huius Christi Sacerdotij in se ipso dedit Vasquez d. 85. c. 2. ex dictis q. 1. cert. 3. cum enim Deitate ipsa, qua vnionis interuentu formaliter inungatur humanitas, Christusque, siue substantialiter vnctus confurgat, & consistat ac tanquam forma sacerdos Christus constituitur, implicat manere Christum, siue substantialiter vnctum, qui maneat sacerdos, & Sacerdotium ipsius: atqui Christus manet in aeternum: ergo, & eius Sacerdotium, atque ipse Sacerdos manet in aeternum. Hanc formalissimam rationem dedit aperte nobis Paulus ad Hebræ. 7. dicens, *Plures facti sunt Sacerdotes secundum legem idcirco, quod moritur, vltra quam in sacerdotes deputati non erant, prohiberentur permanere. Hic autem, Christus, eo quod maneat in aeternum sempiternum habet Sacerdotium.* Vtrique: quia non extrinseca lege, & deputazione, quae tempus taxaret Sacerdotij, sed ipsa Deitate, qua Christus consistebat, ipsius Sacerdotium consistebat: Quare sine Sacerdotio stare non poterat:

id quod explicari adhuc dixerat num. 16. qui non secundum legem carnalis mandari factus est Sacerdos: sic enim sicut legales reliqui morte prohiberentur permanere, sed secundum virtutem indissolubilis vitae. De rationem Pauli intelligunt ad ea loca Ambrosij, Theophylacti, & oecumenius. Cyril. lib. posteriori ed recta fide ad Regim. de eo quod Christus sanctificatus est, & de Sacerdotio. §. Nullus accepit sibi. Damasci. orat. 2. de B. Mar. Natuuit. longè ab init. Et Elias Cretenf. recitatu. q. 1. cert. 3.

3. Denique Chrysof. explicans c. 7. ad Hebræ. ait: *duas ponit differentias: quia non habet finem, sicut legalis Sacerdos, Hoc autem facit ex persona Mediatoris Christi secundum virtutem inquit, vita insolubilis. Facit autem hac ex iururando, quod iurauit, & ex re. Ac infra, facit autem hac, & ex Pontifice: quomodo? quia vnus est. Non enim vnus esset immortalis. Sicut enim multi sacerdotes sunt, quia mortales sunt: sic vnus, quia immortalis est.* Quae verba habentur etiam in Ambrosio proximè citato. Ex hac Doctrina rectè inferbat Vasquez c. 3. num. 29. Christum Dominum Sacerdotem aequè, ac nunc, in aeternum fore, etsi non ex fine redimendi homines per cruentum sui Corporis sacrificium incarnatio fuisset effectus: ac proinde nunquam sacrificium vllum exercendum ab ipso foret. Eo enim à Sacerdotibus aliis discordat Christus sacerdos, quod illi ex deputazione ad sacrificandum Sacerdotes constituantur; Christus autem non ex deputazione, extrinsecove alio, sed ex intrinseco sibi: nempe Deitate, qua constituitur in se, sacerdos euadit: ea quippe formaliter sit Christus, vnctus, & Sacerdos: quare ex quocumque sine Christus existat, & Sacerdos existet, vt videant Sodrius, Hurtado, Bernal, & reliqui Doctores, qui ad Sacerdotij durationem sacrificium peragendum in illa necessarium reputent, quantum aberrant à vero: in nullo enim Sacerdotio id requiritur, sed satis est antea tempore fuisse peractum; in Sacerdotio verò per intrinsecam formam sufficit absoluta sacrificij possibilitas, licet nunquam exerceatur.

4. Caeterum Doctores eiusmodi opinantes non satis miror. Etsi enim actus proprius à Sacerdote quouis in ea duratione exercendus necessario requiretur, in qua Sacerdotium verè perduraret, facile eiusmodi actum inuenire in Christo per aeternitatem possent. Etenim ingressus ille Christi in sancta sanctorum caeli propria auctoritate & virtute, seorsumque aeterna illa ipsius in excelsis, actus proprius Sacerdotis summi Christi Domini est, quemque figuratè solus summus Sacerdos Legalis, & Aaronicus exercere poterat: Soli enim Sacerdoti summo veteris legis ad sancta sanctorum Legalis tabernaculi licebat, patebatque ingressus post mastrationem, sacrificiumque cruentum: eoque ingressum summi Sacerdotis Christi in sancta sanctorum tabernaculi non ab homine facti, sed à Deo, nempe caeli, post cruentum sui Corporis sacrificium adumbravit. Hunc summi Sacerdotij Christi proprium actum notauit saepe Paulus ad Hebræos scribens. c. 6. num. 20. *Vsq; ad interiora velamentis: vbi praecursor pro nobis introiit Iesus secundum ordinem Melchisedech. Pontifex factus in aeternum.* c. 8. num. 1. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixus Dominus, & non homo.* c. 9. num. 11. relato modo, quo summus Sacerdos semel in anno non sine sanguine in sancta sanctorum, siue secundum tabernaculum ingrediebatur, subdit. *Christus assisens Pontifex futurorum temporum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiit semel in sancta. Quid clarius?*

QUESTIO

QVÆSTIO IV.

De Christi sacrificio, eiusque effectu.



Idendum est quotuplex sacrificium Christus obtulerit, quòque fructu, & effectu. Et quidem obtulisse in cœna inuentum sui corporis sacrificium definitum est à Tridentino sess. 22. cap. 1. verbis datis q. 3. cert. 1. num. 2. fusèque à nobis contra huiusce sæculi nouatores probatum suo loco est controu. de Eucharistia, & de sacrificio Missæ, quare nil hic de eo erit dicendum: videat si uolet lector curiosam, doctrinamque disputationem nostri Maldonati in initio tomi in Ezechielem. Duo igitur sacrificia Christi examinanda super sunt cruenta, alterum sui corporis, alterum Paschalis agni.

CERTAMEN I.

Verumque, & sui corporis, & Paschalis agni sacrificium Christus obtulit.

I DE oblatione sacrificij cruenti sui corporis à Christo Domino, vt Sacerdote difficiliora discussimus q. 1. cert. 4. num. 3. Nunc autem obici potest: quia sacrificium in materia, loco, & tempore autoritate publica destinatis ad sacrificandum peragi debet, vt ritè, ratèque peragatur: atqui cum Christus fuit casus nondum lex uerus fuerat abrogata: quia nec nouum testamentum inductum, quo abrogaretur: ergo ratum sacrificium ex materia in lege ueteri designata tempore, item, & loco destinato scilicet in templo Hierosolymitano peragi debebat, quæ omnia in Christi eade defuerunt: ergo ea non fuerat sacrificium. Respondetur: tempus legis ueteris ad sacrificium agni Paschalis, quod cruenti sacrificij Christi fuit umbra, in hoc etiam fuisse seruatum, vt aduertunt Euangelistæ omnes in ipso historici passionis ingressu, clarissimè reliquis Ioannes cap. 13. num. 1. *Ad diei festum Pascha sciens Iesus, quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Locus autem, & materia in lege ueteri designata non defuit. Neque enim sacrificiorum omnium materia in illa lege eadem erat: proprium autem corpus Christi designatum ad sacrificium erat ab Isaiâ. *Si posuerit pro peccato animam suam uidebit semper longeuum.* Clarissimè à Ps. *Imilla sacrificium, & oblationem noluit, corpus autem adaptasti mihi.* Locus autem sacrificij, seu holocausti pro peccato non templum, seu tabernaculum erat in illa lege, sed quibus extra castra, seu ciuitatem: quare cum Christi sacrificium pro omnium peccatis martiretur, non nisi extra ciuitatem erit offerendum, vt profunde obseruauit Paul. ad Hebræ. 13. num. 11. *quorum animalium inferret sanguis pro peccato horum corpora cremantur extra castra: ita & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est.* Ac tandem cum omnia illa sacrificia umbra huius forent pro legalibus, locum, & tempus, & materiam designabant, non autem pro sacrificio hoc, quod adumbrabant, pro quo templum, & altare idem, quod sacrificium, & materia fuit, corpus scilicet ipsum, vt citato cert. 4. uidimus.

2 Cruentum insuper hoc sacrificium sæpe fuit à Paulo commendatum tota epist. ad Hebræos, ex qua selectiora hæc cap. 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelso throno factus: Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit seipsum.* R. P. Christoph. de Ortega, de Deo uno & Trino.

mel se ipsum offerendo Iesus Christus Dominus noster, & c. 9. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem intrinuit in sancta æterna redemptione inuenta. Leo Pap. 1. *Dicant quo sanguine sunt redempti, dicant quo sacrificio reconciliati? quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis? aut, quod unquam sacrificium sacrarius fuit, quàm, quod uerus Pontifex altari crucis per immolationem sua carnis imposuit?* Adrian. Pap. 1. epist. decre: ad Hispan. Antist. *cum autem in altari crucis hostiam se pro nobis exhibuisset Deo, & Patri in odorem suauitatis.* Post pauca: *sacrificium, quod in altari crucis pro nobis obtulit Deo.* August. 1. contr. aduersar. leg. & Prophetar. cap. 13. *singulari, & uero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est.* 4. de Trin. cap. 14. *quid tam congruenter ab illis est ex hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? & quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? in quam sententiam sæpius scripsit, ac insuper Cyprianus reliquique Patres.* Tandem definita est hæc ueritas à Concil. Alex. epist. ad Nestor. 10. apud Cyrillum Alex. anathematismo 10. recepta ab Ephesino 1. Definita etiam fuit à Tridentino sess. 22. cap. 1.

3 secundò dicendum est Christum obtulisse sacrificium agni paschalis, seu pasche. Quod, vt probetur, scire oportet: agni paschalis occisionem, uerum, ac proprium sacrificium fuisse diuinitus institutum, Iudæisque mandatum in gratiarum actionem, ac professionem propitiæ sibi potestatis diuinæ in eade Primogenitorum Ægyptiorum, atque Hebræorum seruatione. Sæpè enim eiusmodi cessio agni immolatio dicitur Deuteron. 16. num. 2. Paralip. 2. cap. 30. num. 15. Lesdræ 1. cap. 6. num. 20. secundò scire oportet: huius sacrificij sacerdotem à Deo deputatum fuisse quemcumque Patremfamilias, siue caput familiae Hebræorum, vt docet Philo 31 de uita Moysis his uerbis: *Non, ut alias plebei homines adducunt ad Altare, mandanda à Sacerdotibus: sed iubente lege tota gens sacrificat: dum pro se quisque mactat hostiam propriis manibus.* Consonat Iosephus 2. antiquitat. cap. 6. Tertio locus ei sacrificio deputatus non fuit templum, sed quæuis domus Hierosolymitana, vt ex uerbis Philonis datis, & ex Iosepho constat, atque ex 16. Deuteronom. num. 5. imò tam hæc, quàm præcedens obseruatio ex 2. Paralip. cap. 30. num. 15. ubi filij Israël immolasse Phale dicuntur, ac distinctum, seu seorsim sacerdotes, & Leuitæ in domo Domini. Accedunt rationes. Nam innumeris agnis eodem tempore occidendis, nec plura templa, nec multa sacerdotum millia sufficerent. Deinde: quia, si templum locus deputatus esset agni sacrificio, & esui, nec rogassent Christum discipuli ubi paremus tibi comedere pascha, nec priuam ipse domum elegisset, sed templum potius adhibere diceretur à Euangelistis, ne Legem nondum abrogatam contempnisset uideretur. Ex quibus satis liquet Christum familiae discipulorum, imò, & Matris etiam caput, agni Paschalis sacrificium illius, quod ex sua carne peracturus statim erat, prælium non omisisse, sed perfecisse.

At dices: Sacerdotium ad immolandum Paschalem agnum capitibus familiarum deputatum à Deo fuit in ueteri lege quingentis post circumcisionem annis: ergo, si Christus, quæ caput familiae suæ, propriè sacrificauit agnum Paschalem, fuit ueteris legis Sacerdos. Non nimis refugere uideret consequentiam Bernald. d. 60. sect. 2. §. 2. hum. §. 2. solum enim putat negatum Christo à Paulo ad Hebræ. 7. Sacerdotium legale, quod esset munus, & dignitas specialis in populo, quodque solum Leuiticam ad gentem pertinebat. Sed tamen melius, ueriusque neganda est consequentia. Nam, & Sacerdotia alia legalia, ac non Leuitica recipiebant succedentes, eo quod Sacerdotes etiam illi morte prohiberentur permanere, quod absolute à Sacerdotio Christi Paulus prorsus ibi relegatum uoluit.

luit. Respondetur ergo Christum non ex iure legis sacerdotem, sed ex vnione hypostatice, ex qua, vt diximus, summus, ac longe altioris ordinis reliquis purè creatis euasit, potestatem omnium Sacerdotum eminenter continuisse, potuissèque omnes actus omnium inferiorum sacerdotum propriè obire iure, & potestate sui sacerdotij supremi: non secus, atque ex suprema regia potestate, quam iure vnionis habere diximus poterat in omnibus regnis leges condere, præcipere, eaque politicè gubernare: ac proinde non sacrificasse ex iure legali capitis familiaris, quam humano modo verè non habuit, vt diximus, ac subinde, nec legale illud sacerdotium. Sic Rex, licet in suis prouincijs ea omnia, quæ ipsius Proreges, se ipso perageret, non Proregis potestate, sed ex Regia ea agere diceretur.

CERTAMEN II.

Cruenti Sacrificij Christi effectum discutitur.

IDE cruenti sacrificij Christi effectum solum agitur. Cum enim ex parte rei oblate & merito Christi offerentis æquale ipsi sacrificium incruentum Eucharistiæ sit, nihil hic speciatim de hoc examinandum erit: sicut neque de effectu sacrificij Paschalis agni, quod etiam ex parte offerentis Christi æquum habuit valorem, & effectum: ex parte verò rei oblate eundem, atque aliorum similia offerentium sacrificium. Nemo igitur Catholicorum est, teste Vasquez d. 34. c. 1. num. 11. qui cruento huic sacrificio effectum infinitum placationis Dei de nostris peccatis media gratia infusione neget: ac proinde totius mundi redemptioni non sufficisse solum illud, sed & superabundasse, vt recitandus statim Paulus aiebat: licet dubium inter illos sit, an valorem & effectum solo oblationis Christi merito habuerit: an re etiam oblata? Primum reputat Vasquez eam alius recitatis controu. antecedenti d. vlt. q. 2. nos autem secundum iudicamus cum Valdingo, & reliquis ibidem nominatis. Eà verò de re nil præter ibi data addendum hic erit. Solum ergo examinanda venit difficultas ratio Pauli ad Hebræ. 10. dum valorem istius sacrificij cruenti Christi Domini præ cruentis alijs commendans ait: illa quidem insufficientia fuisse ad sanctificandum: ac proinde quotidie repeti, sed semel tantum fuisse ab ipso exhibitum, vt eius sufficientia, & superabundantia ad nostram sanctificationem consummatam monstraretur.

2. Verba & discursus Pauli hac: umbram habens lex [vetus] futurorum bonorum, [gratiæ], non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem hostijs hostijs, quas offerunt indifferenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, [sanctitate] atque sufficere offerri, ideo quod nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores, semel mundati: sed in istis commemoratio peccatorum fit. Clara professione insufficientie eorum ad perfectam cultorum sanctificationem, impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata subditque in argumentum idem, & omnis quidem Sacerdos, legis, præsto est quotidie ministrans ac proinde stans, easdem specie offerens hostias, qua nunquam possunt afferre peccata: hic autem, Christus, vnus pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei; ostendens absolutum semel sacrificium fuisse, de cetero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consummanti in aeternum sanctificatos. Sed tamen cum sacrificia vetera umbra essent vnici sacrificij cruenti Christi, nisi peccata saltem impetratorie, expiant, licet ex meritis Christi, ineptè pro peccatis repererentur. Si autem remittebant: ergo in annua eorum repetitione non fiebat commemoratio,

nisi denuo admissorum. Ex quo humanæ infirmitatis, non autem insufficientie veterum sacrificiorum ad auferenda peccata argumentum potest desumi; alioqui & sacrificium cruentum Christi, post quod humana fragilitas sæpè in peccata relabitur, & incruentum Eucharistiæ, quod quotidie milles millium in Ecclesia repetitur, inefficacitatis eodem discursu arguerentur: quibus præoccupata manet solutio S. Thom. q. 22. a. 3. ad 2.

3. Respondetur cum Vasquez 2. d. 84. c. 1. num. 6. 8. & deinceps, Paulum agere de remedio peccatorum vniuersali, fundamentali, & radicali, quod in solo Christi sacrificio fuisse, non in veteribus, rectè eo discursu probat repetitionis sacrificiorum. Si enim vniuersale remedium, ac radicale peccatorum essent, etiam pro denuo admissis repetenda non erant, sicut nec repetendum fuit cruentum sacrificium Christi: cuius vetera sacrificia particulares applicationes, siue applicatiua ad peccata admissa eluenda tantummodo fuerint, ea ex meritis & satisfactione cruenti sacrificij Christi per gratia infusione eluendo. Hinc rectè ait Paulus sacerdotes veteres stare semper debere ad noua sacrificia cum nouis peccatis homines nouis sacrificijs, & remedijs, vniuersale, & radicale illud cruenti sacrificij Christi applicandis egerent; Christum verò contra sacrificio suo peractio, quod vniuersale, & radicale peccatorum omnium remedium fuit federe tanquam negotio redemptionis absoluto, ab alio cruento quiescentem. Quoniam autem huius sacrificij cruenti, in quo omnium peccatorum satisfactio erat occasione homines ignaues, & inertes fieri noluit Christus, remedium tantummodo radicale, non formale actuale voluit esse, quod varijs quasi canalibus, & tubis particularibus applicaretur: neimpè Sacramentis ab hominibus debite suscipiendis, atque incruento sui corporis Eucharistico sacrificio: quod proinde, vt particulare applicatum cruenti repetendum, sicut vetera sacrificia, ab Ecclesia fuit, licet hæc non eodem modo gratiam contineret, & conferret, atque illud, iuxta dicta suè à nobis controuers. de Sacramento in genere. Hæc autem repetitio incruenti sacrificij, & multiplicatio Sacramentorum cruenti illius vim ad consummandum sanctificatos, peccatæque ablenda non impugnat; sed commendat: cum tot hausta canalibus non exhaustiariatur.

3. Restat explicare, quibus cruenti huius sacrificij effectus profuerit: de quo solum inquiri non de oratione, tum quia proprius, & specialis sacrificij actus non est: tum quia eius effectus, omnes etiam, Christum pertigisse ab omnibus scholasticis, vel supponitur, vel asseritur, vt videre est in S. Thom. q. 21. a. 4. & Thomistis apud Vasquez d. 84. cap. 2. num. 15. constatque ex Ioan. 12. vbi Christus orabat sanctifica me ex hac hora, & clarifica nomen tuum in me filio, cui Pater, & clarificauit, & iterum clarificabit. Vide ipse c. 13. Nunc clarificatus est filius hominis & clarificabit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificetur. Ad Hebræ. 5. recitatis verbis ex Psalmo 109. dicitur, qui in diebus carnis sue preces supplicationisque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte cum clamore audido, & lacrymis ex auditus est pro sua reuerentia. Quo autem pacto exauditus pro sua reuerentia fuerit, obtinueritque, explicuimus controu. proxima d. cert. Obseruat autem rectè S. Th. Christum sibi orationis suæ effectum secundum quid solum obtinuisse, nam primarium, primariòque omni sua oratione, qua Sacerdos erat, intentum, scilicet peccatorum remissionem Deique de his placandum, iustæ, ac prorsus impeccabili humanitati suæ obtinere non poterat. De effectu autem sacrificij iis omnibus hominibus, Angelique obuennisse, quibus merita Christi in dicta citata controu. certum omnino etiam est, licet Angelis, non quo ad effectum remissionis peccatorum, sed ad reliqua.

qua. Tota ergo differentia est an sacrificium cruentum Christi Domini, eiusque effectus ipsum Christum Dominum pertigerint.

5 S. Thomas in vitamque trahitur partem, in affirmatiuam à Thomistis, in negatiuam à Vasquez iure potiori. Bernal argumentorum nostri Vasquez pro negante conclusione inefficaciam dispiciens, necdum plene perspicens, dubius in decisione hæsit. d. 60. sect. 2. §. 2. num. 54. & 55. Est autem Vasquez discursus huiusmodi, quia non potuit Christus sacrificium sui cruentum offerre pro se ipso, ut opus erat, ut sibi prodesset. Etenim non potuit pro se ipsum offerre in gratiarum actionem pro acceptis à Deo, & sic, non nisi ex Dei præcepto, se posset maculare sine peccato: nullum autem Dei præceptum extitit, ut se in gratiarum actionem pro suis acceptis donis sacrificaret vel se ad dona sibi impetranda Deo sacrificaret cruentè: & nec hoc fieri potuit: quia nequit sacrificium eiusmodi pro aliquo ad impetranda ipsi dona Deo offerri, quin, & pro ipsius peccatis expiandis, atque ad placandum ipsi Deum offensum offeratur, quod respectu Christi, eiusque humanitatis sanctissimæ, & impecabilis locum, nisi apud blasphemos nefarios, habere non potest. Probat assumptum hoc ex Concilio Alex. epist. ad Nestor. apud Cyrillum 50. anathematismo 10. approbata ab Ephesino 1. t. 1. cap. 14. sic scribente: *Si quis dixerit non pro nobis solum se ipsum obtulisse, sed simul etiam pro se ipso, ille impietatis crimen vitare nulla ratione potest. Constat enim nihil unquam deliquisse, nec ullum unquam peccatum designasse: quia igitur indigebat oblatione, cum peccatum (cuius hostia iure meritoque offerretur) nullum admisisset? & in anathematismi eiusdem definitione: Si quis Christum, etiam pro se ipso oblationem, & non magis pro nobis obtulisse dicit (non enim opus habuit oblatione, qui peccatum non nouit) anathema sit.* Si autem oblatio ad dona alia obinenda alicui, sine eo, quod pro expiandis peccatis foret, esse posset, sine vlla impietate diceretur Christum pro se ipso oblationem sui ipsius obtulisse. Confirmatur; quia ideo videtur Christus dixisse Ioan. 17. *Pro illis sanctifico me ipsum, id est, sacrifico.* Iuxta Chryost. Theophylact. & Euthym. ibi ac Cyril. 4. in Ioan. cap. 12.

6 In affirmatiuam nihilominus partem cum Thomistis eo. Etenim pro se offerre se ipsum potuisse certum mihi est, neque oppositum leuiter adhuc argumenta proxima suadent. Etenim locus hic Ioannis non abest quominus pro aliis, quam hominibus, se sacrificauerit Christus, ut patet in pluribus, imo fere omnibus Angelis, quibus ad dona gratiæ plura obtinenda sacrificium Christi profuit in Vasquez etiam sententia. Cur ergo non & sibi? Illud de gratiarum actione nil probat. Cum enim Dei præceptum se sacrificandi pro hominibus habuerit, se in gratiarum actionem pro donis sibi à Deo collatis potuit honestissimè sacrificare. Nam sui maculationem sibi ex Dei præcepto licitam, & honestam; quibusuis honestis aliis finibus adiunctis potuit honestare. Melius hoc probaretur repugnare: quia, si in gratiarum actionem pro donis à Deo acceptis sacrificium obtulisset, dona illa eius sacrificij effectus esse non possent: tum, quia mutua daretur causalitas inter illud absolute præsum, & dona etiam præuisa absolute, ut supra expendebamus non semel: tum quia dona illa essent effectus liberalis voluntatis Dei gratuito donantis, cum quo non stat ob munus siue sacrificium, & gratiarum actionem ipsam dari: sed hæc in Vasquez sententia, qui ob gratiarum actionem à Christo in huius sacrificij oblatione exhibitam dona antiquis Patribus data à Deo fatetur, nullam vim habent, licet absolute satis efficaciter probent: quare, & nobis non eo modo se in gratiarum actionem pro donis sibi collatis Deo offerre potuisse, dicendum sit: sicuti neque in gratiarum actionem pro donis gratiæ collatæ antiquis Patribus se obtulisse, offerre potuisse supra dicebamus. Potuit autem se se

pro sibi impetrandis Dei donis, gloriæ corporis, nominisque exaltatione offerre, quin ex eo sine pro remissione peccatorum, quæ habere non potuit, offerret: unde enim uterque hic finis, & intentio necessario coniuncta & connexa sint. Ecce pro impetrandis donis pluribus Angelis, qui non peccarunt se Christus obtulit, quin pro remissione peccatorum ipsorum, aut pro Deo ipsis placando se offerret. Equis item Adamum in statu innocentie ad aliqua dona impetranda sacrificium Deo offerre potuisse neget? Testimonia illa loquuntur de primaria intentione oblationis illius sacrificij, quæ dubio procul pro remissione peccatorum fuit: eo enim sensu Nestorius, qui Christum purum hominem assererat se pro se ipso, sicut pro cæteris hominibus obtulisse impiè blasphemabat, fatiisque indicat hanc Conciliorum mentem, & huius erroris occasio, & verba illa, *non magis.*

7 Iam verò si pro se ipso sacrificium hoc offerre Christus præfato modo potuit, ut verè potuit, cur non de facto pro se obtulisse digemus? Quia nullum est fundamentum ad id de facto asserendum admissa etiam possibilitate, inquit Vasquez, ex quo Bernal, qui idcirco in difficultatis decisione hæsit. Sed tamen ad id asserendum fundamenta sunt plura. Primum ex postremo testimonio Concil. Alex. & Ephesini opposito à Vasquez *non magis pro nobis obtulisse*: ergo pro se minus, id est, non primario, & principaliter, sed secundario: magis enim, si propriè accipiatur, ut accipi in definitionibus oportet, esse non potest, nisi respectu illius, quod minus ipso est. Secundum ex illo *pro se ipso pro peccato animam suam videtur semen longeuum.* Mai. 53. ubi ex sacrificio mortis suæ pendere Christi dignitatem Patris, & patris, quoad filiorum, & membrorum applicationem, exprimitur. Verbo enim *ponendi animam* Sacerdotalis sui ipsius hæctatio, qua à martyrio differt, explicatur, iuxta dicta q. 1. ex illo Ioan. *ego pono animam meam nemo tollit eam à me.* Tertium: ex illo *oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam,* atque illo *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit ei nomen, quod est super omnia nomen.* Corporis utique, inquam, peracto sacrificio ingressus est. Quartum: quia gloriosus id Christo Domino fuit. Quintum: quia id in opinione Vasquez, & Bernal necessarium est fatendum: Cum non aliter gratias, & dona aliis Christus sacrificio hoc obtinuerit, quam merito oblationis: non autem se ipsa oblata; eodèque merito sibi gloriam corporis, & reliqua fuerit per ipsos sibi promeritus: ergo per ipsos neque effectus sacrificij huius Christum, quoad dona sibi collata, atque reliquos pertigit.

DISPUTATIO III.
De Christo Domino Mediatore,
ac Redemptore.

Tramque dignitatem Mediatoris, ac Redemptoris in vnam disputationem coëgimus, quæ neutrius scholastica disputatione iuxta euadere.